This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

48.360.

POMPONII

DE ORIGINE IURIS

FRAGMENTUM

RECOGNOVIT

ET

ADNOTATIONE CRITICA

INSTRUXIT

FRIDERICUS OSANNUS
PROFESSOR LITTERARUM ANTIQUARUM
GISSENSIS.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

GISSAE.
PROSTAT APUD IO. RICKERUM.

MDCCCXLVIII.

PRAEFATIO.

Quum anno superiore Pomponii de origine iuris fragmentum mea qualicumque opera recognitum, publicas de eo a me habendas scholas frequentaturis cummaxime destinatum, in vulgus emitterem, contextus a me constituti rationes in ampliore editione propediem prelo submittenda expositurum me esse pollicitus sum. Quod in me tum munus suscepi, id hoc libello edendo nunc ita exsequi studui, ut in adiecta contextui repetito adnotatione critica et de cuiusque loci scriptura, quantum liceret, disputaretur accurate et simul uno Digestorum partis quamvis exiguae exemplo monstraretur, quantum in constituendo horum iuris civilis librorum contextu adhuc praestitum, quantumque praestandum relictum esset: quod munus neque cupidius neque arrogantius ab hospite, qualem ipse in hoc litterarum genere me profiteor, susceptum esse, persuadebunt sibi, opinor, harum rerum arbitri ii, qui non praeiudicata opinione de re proposita iudicare volent. Nihil dicam equidem invidiose: etsi conditionem Corporis Iustinianei criticam, qualis hodie fertur, quum considero, vix me contineo, quin succenseam magnopere iis, qui post editionem curis Gebaueri et Spangenbergii vulgatam eundem lapidem revolvere sustinuerunt; sed dicam quod verum est. Etenim fallor, aut editum nunc Pomponii exemplum vel incredulum docebit, Iustinianei iuris librorum ea qua par est

diligentia et severitate critica excussam expolitamque editionem etiamnum desiderari: quod non tam iuris consultorum quam philologorum negligentia factum esse censeo, qui insignia haec sermonis et litterarum Romanarum monumenta tamquam provinciam alienam deseruerint aliisque administrandam commiserint. Non me fugit, Iuris Iustinianei libros critice ita tractare, ut ad codicum superstitum omnium editionumque vetustarum, quantum ad Digesta, earum certe, quae Florentinam praecesserunt, scripturam exigerentur, subnotando simul quoque loco lectionis discrepantias, immensi esse laboris et unius hominis vires longe superantis opus, quod a Schradero eiusque sociis longe doctissimis numquam satis quidem laudanda industria inchoatum, nec tamen omnibus eius partibus absolutum vocari potest, neque id ipsum ultra Institutionum editionem productum: neque sperare licet in hac misera litterarum solidiorum conditione, susceptum opus nostris temporibus continuari aliquandoque ad finem perductum iri. Haec quum ita sint, in una saltim operis immensi parte facere institui id quod in universo aliquando factum iri a benigniore temporum conditione exspectandum est. Feci igitur interim quod potui. Atque quantum quidem in me fuit, quae adhuc a viris doctis in illum locum Digestorum adnotata ad meam notitiam pervenerunt, ea diligenter contuli hisque subsidiis ita usus sum, ut quae nossem lectionis varietates, praesertim ex codd. ductas, conscriberem cunctas, et ita rei denuo iudicandae instrumentum exhiberem. Itaque in usum meum converti ex vetustis libris sive manu scriptis sive impressis quantum admirabili diligentia a Schradero *), Clossio **), denique a

*) Civilistische Abhandl. II. Vimariae 1816.

**) Codicum quorundam Mss. Digest. veteris descriptio. Vim. 1818.

Dirksenio passim aliisque ad haec Pomponii excerpta in medium prolata sunt. Neque spernendum fuit Magistri Vacarii opus epitomatum, ex quo quum inter alia etiam eam partem, quae Pomponium de origine iuris comprehendit, Wenckius in Excerptis primus edidit *), haec quanti ad pervestigandam pristinam scripturam momenti sint, ex adnotatione nostra, in qua, paucis ad orthographiam maxime spectantibus omissis, lectionis varietatem integram adscripsi, aestimari poterit: eo maioris ea facienda, quo certius ostendit Wenckius p. 145 sq., Vacarium inter litteram Florentinam et Bononiensem probe distinxisse atque Florentino aliorum adeo codicum auctoritatem opposuisse. Atque ut de aliis lectionibus nihil dicam, quae valde probabiles videantur, quarum nonnullas et aliorum codicum auctoritate firmatas in textum suscepi, unam notabo unice veram, a solo Vacario suppeditatam, quae digna visa est, quae reliquorum librorum fidei anteponeretur, §. 47 *ceteris operibus sapientiae.* Carui tamen, quod notandum, Pomponiani fragmenti exemplis singularibus iis, quae curis Pagenstecheri, tum Hauboldi, denique Pernicii (huius editio nihil praeter contextum Gebauerianum exhibere fertur) prodierunt: quae dudum, ut videtur, commercio librariorum subducta nullo modo comparare mihi contigit.

Hic vero occurrendum verbo iis, qui citra Florentini fidem nullam spem indagandae genuinae scripturae relictam contendant. Qua de re quum miro ICtorum vel peritissimorum fervore in utramque partem disputatum sit atque in his adeo fuerint, qui etiam nostra fere aetate litteram Pisanam unice fide dignam censerent, quo ex numero Smallenburgius **) fuit, nemo tamen ad hunc ipsum diem,

---

*) A. 1820.

**) Praef. ad Schultingii Not. ad Pandectas T. I. p. XIX. Operae

quantum sciam, ea de re quid statuendum sit omnibus momentis expensis, in clara luce posuit. Fallor, aut spero fore ut hac ipsa opella mea qualicumque, si qua observatione digna visa fuerit, examinata aliter iudicaturi sint, quum praesertim codicem Neapolitanum, de quo hanc ipsam ob caussam explicatius in Parergis dixi p. 122, iam constet ipsi Florentino neque aetate neque praestantia cedere, utrumque vero passim inter se dissidere atque insuper esse codices, qui illius scripturam a Flor. discrepantem confirment: qua de re velim aliquis severe expendat et persequatur quae notavi p. 123. Tantum igitur abest, ut ex uno Flor. omnis salus exspectanda sit, ut qui in eo tamquam in solo genuinae scripturae fundo omnia reponeret, is pristinam contextus formam praeclusurus esset. Quae quum ita essent, eam viam, quae et tutissima et maxime fructuosa videbatur, in constituendo Pomponii contextu secutus sum, ut ducem quidem Florentinum haberem, neque tamen addicti instar eum non relinquerem, ubi et ratio et

---

pretium videtur viri immanis industriae laude non privandi iudicium, quoniam instar aliorum haberi potest, cognoscere. „Non tamen, inquit, necessarium duxi, variantes Codicum et Editionum Lectiones sedulo investigare et adscribere. Editio Corporis Iuris Gebaueri et Spangenbergii possit huic rei sufficere videri. Praecipuas igitur duntaxat, et quae alicuius momenti esse videbantur, selegi et indicavi. Profecto, quum in ea versor opinione, Ms. Pand. Florentinum non tantum omnium Pand. Mss. quae supersunt, antiquissimum esse, quod omnes agnoscunt, sed etiam ex hoc uno Ms. reliqua omnia manasse, varians aliorum Codicum, vel Editionum, ad illud Ms. non expressarum, lectio non potest apud me plus auctoritatis habere, quam Interpretis cuiusdam coniectura, vel emendatio, quaeque adeo, si Legem quodammodo illustrare possit videri, exploranda sit, atque examinanda, sin minus, haud dubie negligenda.“ Quae sententia quum plurimis nominibus reprehendenda est, tum vel eo laborat, quod Gebaueri editio in exhibendis subsidiis criticis sufficiens dicitur: quod quam verum sit, satis superque haec Pomponii editio ostendit.

ipsius Codicis conditio ad discedendum cogeret, aliorumque Mss. scripturam, ubi potior videbatur et cum ipsa ratione conveniebat, susciperem: qua via sola si incedant Digestorum editores futuri, sperare licet, genuinam scripturam, plurimis locis adhuc latentem, tandem aliquando in meliorem lucem productum iri. Quae enim potest magis damnosa et ridenda religio, ne dicam superstitio, cogitari eius, qui ultra Pisanam litteram sapere non audeat? Qui et ipse concessit, ne orationis forma hiaret, hic illic aliquam vocem invito Codice in contextum inserendam esse, id quod nemine contradicente factum est in Pomponii §. 22: quique, si non plane caecus fuerit, non potuit non perspicere, lectiones multo praestantiores, vel unice genuinas in aliis codicibus praesto esse, quod innumeris exemplis dudum patuit et quoque paene codice recens invento vel vetere accurate inspecto hodieque comprobatur. Unum instar omnium exemplum laudabo ex Kelleri Semestr. ad Cic. II. p. 316. Aliud ipse addam ex Pomponio D. L, 16, 245, 1: *Idem Labeo ait, prothyrum, quod in aedibus, iterum qui fieri solet, aedium est.* Verba *iterum qui* iam Taurellius eo signo notarat, quo quae incerta essent vel Latinitati repugnarent, significare solitus est. Unice verum eorum loco quod restituit Haloander *interdum*, omisso *qui*, quod ut a Gebauero docemur, a quibusdam libris reapse abest.

In hoc igitur rerum statu quascumque subsidiorum eius generis copias praesto esse nossem, eas modo illo meum in usum excussi, disposui, iudicavi, ut una certe in parte Digestorum quot et quanta scripturae restituendae adminicula hunc laborem aliquando recepturo adessent appareret: neque de novis apparandis Codicis Iustinianei auxiliis circumspicientem me fortuna fefellit. Nam etsi me non fugit, levidenses eas esse copias, quas ex aliquot vetu-

starum membranarum frustis Parergo III. in medium proferre licuit, tamen in hoc genere nihil mihi quidem videtur spernendum: maioris vero pretii videbuntur, quae eo ipso tempore, quo contextus a me constituti exemplum operis ad describendum typis paene traditurus eram, faustiore fortuna contigit mihi codicis Florentini tamquam ex visceribus eruere, non solum quod ad ipsius Pomponii fragmentum emaculandum multum contulerunt, sed quod hoc novo fonte recluso simul certo apparet, Florentinum etiam post diligentissimas editorum curas adhuc non exhaustum esse, id quod nuper Pomponio a me edito praemonere ausus sum. De fonte vero illo explicatius dicendum est. Etenim quas passim inserui adnotationes Metelli nomine inscriptas, eas deprompsi ex Cod. bibl. acad. Gissensis, olim Senckenbergiano, nunc n. CMXLVI, de quo exposuerunt Adrianus Catal. p. 278 sq. et Otto Commentar. crit. p. 24, quorum quum neuter, quae a fol. 369. a. ita inscripta „In quibus dissentiam ab editione Florentina, in primo Pandectarum ternione: quem solum tantum vidi" leguntur, cuius indolis essent perspexisset, ille ut alias in Cod. praemissas scriptiones, quae ex scriniis Haloandri prodiisse viderentur, ita huius ex scriptis etiam hoc apospasmation sumptum ut arbitraretur induci se passus est: quam sententiam secure Otto transcripsit. Sed fugit utriusque diligentiam extremi folii 372 pagina aversa, quae externam epistolae partem sese prodit ex inscriptione hac adiecta, ab eadem manu exarata: „Al molto magnifico et eccellente signor il signor.. Lelio Taurello, canceliere dell' illustrissimo Duca di Firenze. A Firenze, nel palazzo di Medici. Pagato il porto." Istae igitur dissensiones ad Taurellum per epistolam transmissae sunt. Neque latet auctoris nomen, quamquam item Adrianum latuit. Scilicet dissensionibus istis subiiciuntur f. 370. b. haec verba: „Haec Metellus tuus,

si tibi probabuntur. Reliquos terniones non vidi.“ Quae deinceps sequuntur, ab eadem manu usque ad f. 372 pag. adversam scripta, ab eodem auctore profecta sunt, et monita quaedam de bene administrando officio editoris Florentini Pandectarum, tum corollarii instar inscriptiones nonnullas continent, quibus lectio quaedam supra commendata (Pompon. §. 29 *stlitibus*) corroboretur. Habemus igitur Metellum quendam, de quo infra dicendum erit, litterarum Latinarum ceteroquin hominem non imperitum atque in re epigraphica versatum, illarum schedarum auctorem, quibus quas normas in editione Pandectarum Florentina, cuius ternionem primum solum viderit, curanda potissimum sequendas arbitretur exponit. Quae monita non cum ipso Pandectarum editore Florentino, Francisco Taurellio, sed cum patre eius Laelio, cui eius operis ex thesauris bibl. Mediceae evulgandi curam supremam a Cosmo Medice Florentinorum duce demandatam novimus *), officiose communicantur. Iam quae Metelli observationibus hic illic crebro ab alia, sed coaeva manu adscriptae notae reperiuntur, eae vix possunt ab alio quoquam profectae esse quam aut a patre aut a filio Taurellio, quandoquidem quum ipsa earum ratio de auctore dubitare vix sinit, tum in iis loci aliquot reperiuntur, qui-

*) Audiamus ipsum editorem in Epistola ad Cosmum Medicem operi praemissa haec scribentem: „Hanc tuam propensam in publica commoda voluntatem perspiciens Laelius pater, cupiensque principi ac domino suo etiam extra auditorium et secreta consilia, quibus muneribus tuo concessu fungitur, assidueque tibi praesto est, honestam aliquam, teque summo duce non indignam operam ponere: iam pridem animo conceperat, ut prae ceteris egregius unus et venerandus liber, simul et omnium votis expetitus auspiciis tuis emitteretur. . . . Hunc ipsum toto ferme decennio cum mea, tum Laelii patris manu summa diligentia tractatum, quoad per occupationes innumeras effici potuit, liberalitatis tuae munus emittimus, omnibus vel minutissimis exemplaris eius figuris bona fide repraesentatis etc.“

bus Pandectarum Florentinorum editor sese auctorem ipse prodit, veluti p. 110. Ut vero Francisco filio notulas, quas Metelli observationibus in margine schedularum adscriptas dixi, deberi existimem, eo adducor, quod ipsi, non patri Laelio proprium et principale editoris munus mandatum fuisse, ex illo ipso Praefationis loco, quem excitavi, probabile fit: quo dicitur opus „ferme decennio cum mea [h. e. Francisci], tum Laelii patris manu summa diligentia tractatum, quoad per occupationes innumeras effici potuit", quae postrema in primis ad patris, qui quum aliis muneribus fungeretur, tum Principi a consiliis esset, partes pertinere videntur. Quae ideo enucleatius exposui, quoniam ea, quae de communione patris et filii in opere perficiendo Hugo *) disputavit, in contrariam sententiam nonneminem ducere possent. Utut vero haec res est, sive patris sive filii notas marginales habemus, Florentinorum Pandectarum editorem unum alterumve auctorem earum esse, nullum est dubium: neque omnino, si de auctore quaeritur, in eo haerendum, quod in scriptione epistolae nomen *Taurellus* exhibetur: utroque enim modo proprium nomen Italicum *Torelli* Latine scribi solitum esse, et *Taurellius* et *Taurellus*, iam ab aliis adnotatum est **): idemque in multis aliis similis formae factum esse constat, veluti in *Morellus* et *Morellius*.

Praeterea haud minus probabilis coniectura videtur, Metelli epistolam Taurellii adnotationibus auctam huius iussu, sive patris, sive filii, posthac sive hereditatis sive donationis iure in possessionem Antonii Augustini, disertissimi iurisconsulti, quo nomine ipse Taurellius eum vocat in Epistola illa Pandectarum editioni suae praemissa, trans-

---

*) Gesch. d. Röm. Rechts seit Iustinian, ed. 1830. p. 288.

**) V. Hugo l. l.

iisse. Cum hoc enim Hispano tum in paucis iuris peritissimo, dum Bononiae, Patavii, Florentiae aliisque locis Italiae per maximam ipsius vitae partem commorabatur, familiariter Taurellius vixisse videtur. Scilicet Metelli illam epistolam Augustinus, qui in patriam redux archiepiscopus Tarraconae vita defunctus est, cum aliis similis generis libellis uno fasciculo colligandam iussisse videtur: id quod ex eo colligitur, quod in eo fasciculo, nunc bibliothecae Gissensis in codicibus relato, quaedam insunt, quae sua ipsius manu conscripta Augustinus ipse profitetur. Iam huius ex museo cum ipso in Hispaniam delato codex ille tandem in Mayansii iurisconsulti Hispaniensis illustris, cuius exstant Comment. ad XXX Ictorum fragmenta, Genevae 1764, manus varios post casus devenit, teste ipso Senckenbergianae bibliothecae Gissensis, quae nunc academicae inserta est, conditore Senckenbergio, qui sua manu Codicis folio primo vacuo adscripsit: „Ex bibliotheca Antonii Augustini Archiepiscopi Tarroconensis dono illustris Gregorii Mayans iurisc. Valentini possidet H. C. B. de Senckenberg *).“ Ceterum, ut hoc etiam tangam, originariam esse hanc Metelli epistolam sive scriptionem malis appellare, quae in codice Gissensi exstat, tum cerae, qua ea signata fuit, reliquiae certae externae folii extremi paginae etiamnum inhaerentes, tum etiam complicationis, qua singula folia in formam epistolarem parilem composita fuerant, vestigia luculenter produnt. Restat ut de auctore epistolae ipso Metello dicatur: quem nemo semel monitus poterit non cum Metello Sequano illo eundem putare, qui Antonium Augustinum ex Hispania patria in Italiam transmigrantem comitatus,

*) De necessitudine mutua, quae Senckenbergium inter et Maiansium fuerit, adi quae refert Eusebius Begerus Diss. prolus. §. XIII. ad Corpus iur. civilis reconcinnatum, cui operi ornamenti loco praemissa est eiusdem Senckenbergii praefatio.

amanuensis fere loco in societatem laborum eius receptus fuit, atque in his, ut coniicere fas est, etiam studiorum, quae ille Pandectarum codici Florentino ante Taurellios examinando dicaverat, particeps fuit. Qui relicto amico suo sive patrono, Augustino, a. 1550 Coloniam Agripp. se recepit, quo aliis ipse studiis occupatus vitam usque ad a. 1600 produxit *). Temporis, quo Epistola ad Taurellium data sit, frustra quaesivi notam: quum vero plura argumenta credere non sinant, eam Metellum, postquam Italia decessisset, scripsisse, ex temporum notatione supra exhibita certo sequi videtur, eam primis temporibus, quibus contextus editionis Florentinae typis describi coeptus esset, quod quo anno factum sit ignoro **), (oportet autem pluribus id annis ante a. 1553, quo editio in publicam lucem prodiit, factum esse) conscriptam esse. Quod confirmatur ipsa Epistolae praescriptione, qua Metellus primum solum editionis ternionem se tum vidisse narrat. Ac valde credibile est, speciminis loco hunc ipsum ternionem tamquam operis diu exspectati, ne dicam efflagitati initium cum amicis doctis ab editoribus communicatum esse, fortasse ipsis hortantibus, ut si quid illis monendum videretur, quod ad rem profligandam, meliusve instituendam pertinere posset, sine mora rescriberent: cui invitationi per hanc ipsam Epistolam suam respondere voluisse revera iam videtur Metellus. Huic operi exsequendo Metellus, qua fuit

---

*) V. Hugo l. l. p. 234 et 237, unde lubet haec transcribere: „Wie Wenig fehlte daran, dafs dieser Metell einer der gefeiertesten Namen in der juristischen Litterair-Geschichte wurde, als Herausgeber der Synopsis, oder gar der Florentinischen Digesten!“ Talis viri nomen in memoriam hominum tria post saecula revocasse, laboris mei Pomponio impensi fructum deputabo maximum mihique dulcissimum.

**) Inspicere non licuit Moreni Annali della typografia Florentina di Lor. Torrentino, 1812.

non modo iuris civilis sed litterarum antiquarum scientia in paucis instructus, ita vacavit, ut Taurellianum contextum cum codice ipso aut denuo conferret, aut quae ex eo ipse prius schedis mandasset *), nunc ad impressum exigeret, denique quid differentiae reperisset vel ubi omnino ab editoris principis iudicio dissideret, id suis ipsius observationibus aliisque additamentis epigraphicis auctum cum hoc per has litteras communicaret. His iam quum adiunxero, Metelli notatis Taurellium, sive pater fuerit, sive filius, in margine earundem schedarum currente calamo ita respondisse, ut quid de Metelli observatis ipsi videretur, epicrisi codicis Flor., ut putare fas est, denuo instituta, adnotaret: omnia dicta esse videbuntur, quae ostendere possint, quanti eae duumvirorum reliquiae aestimandae sint. Etenim non solum valent eae ad codicis Flor. indolem penitus noscendam, qua perspecta recta demum via ad crisin non tam in minuto hoc Pomponii opusculo quam per ceterum Digestorum corpus cum fructu exercendam aperiatur, sed etiam hoc in lucro non spernendo reputandum censeo, quod ex hoc duumvirorum talium commercio quum rei litterariae illo tempore obtinentis status, tum ratio, qua Taurellii in edendis Pandectis maxime usi sint, multo melius quam id adhuc licuit, pernoscantur. Et quantum ad Pomponium, Metelli schedae non uno loco profuerunt ad lectionem dubiam vel nova auctoritate firmandam, vel etiam reformandam ad fidem libri Flor. In hoc autem rei statu meum esse arbitratus sum chartis non parcere, sed libellum integrum, praeter Pomponium etiam alios Digestorum locos attinentem, in lucem producere, quod sub calcem Adnotationum ad Pomponium faciendum curavi, ita tamen ut

*) Iam anteaquam Florentini Pandectae vulgati essent, codicem Ant. Augustinus tractaverat, in hoc labore, ut coniicere fas est, a Metello, amanuensi suo, adiutus.

passim ubi ratio postulasset, in Adnotationibus copias illas licet quam brevissime praegustandas darem. Praeterea notandum, in libello a me nunc edito ea ratione me usum esse, ut Taurellii verba uncis a Metelli observatis disiungerem, ita ut omnia praeter uncis inclusa pro verbis Metelli habenda sint. Ex quibus subsidiis simul hoc colligatur, quod vix credibile videbitur, post tot virorum doctorum labores in perlustrandis Pandectis Florentinis consumptos, etiam post Brencmanni diligentiam superesse, quae ex eo libro ad scripturam Digestorum recte constituendam promi possint: quae etsi levioris generis esse aliquis dicat, nemo tamen ea ad restituendam genuini contextus formam pertinere negaverit, ad quam operam denuo suscipiendam, in qua potissimum correctoris vel correctorum ratio habenda erit, tum rei gravitas tum ipsa codicis vetustas invitant.

De Pomponio, ad quem transeo, praeter ea, quae ex Digestis constant, nihil omnino liquet, neque quae a viris doctissimis, ultimo loco a Zimmernio p. 337 adnotata sunt, retractare in animo est. Nihil igitur dicam neque de suspicione illa dudum explosa, Pomponione libellus de O. I. revera adscribendus, an potius pro fetu Compilatorum habendus sit *): neque de fide historica auctoris, de qua ut cupidius quam verius in utramque partem a VV. DD. disceptatum est **), ita nunc, nonnullis locis melius, ut opinor, a me constitutis, aliquanto aequius iudicabunt. Atque aequius quam vulgo factum iudicandum esse acerri-

*) V. Ruperti Anim. Praef. p. LI.

**) Cf. Smallenburg. ad Schultingii Not. in Dig. T. I. p. 29. Dirksen Versuch. zur Kritik u. Ausl. der Quellen des Röm. Rechts p. 207. Utor hac occasione ut libellum in censura eorum, quos de Pomponio conscriptos narrat Zimmernius T. I. p. 337 sq., omissum notitiae caussa afferam: Eichsfeldi Diss. de Pomponio rei literariae ignaro, Vitebergae 1736; laudat Schneiderus De Servio Sulpicio I. p. 8; ipse non vidi.

mus ceteroquin censor statuerat, Puchta Instit. T. I. p. 464. Unam, quae in rem nostram faciat, haud levis momenti quaestionem tangam; unus duove fuerint Pomponii in antiquitate celebrati iurisconsulti: quam minime ego resuscitarem, nisi subacti iudicii virum, Dirksenium, opinione praeoccupata secus ea de re statuere vidissem. Omnia pendent a gravissimo loco recte expendendo ap. ipsum Pomponium D. XXVIII, 5, 41: *Pomponius libro XII ex variis lectionibus. Et hoc Tiberius Caesar constituit in persona Parthenii, qui tamquam ingenuus heres scriptus adierat hereditatem, cum esset Caesaris servus: nam divisa hereditas est inter Tiberium et eum qui Parthenio substitutus erat, ut refert Sextus Pomponius.* Quem locum ii qui unum Pomponium ICtum agnoscunt, vario modo tentarunt. Fuerunt, quos inter Bachius Histor. iur. Rom. III, 2, 5, 13 est, quibus ipsum Pomponii nomen in praescriptione fragmenti suspectum videretur; sed frustra hoc, quia Variarum lectionum, ex quibus ille locus excitatur, auctorem non alium quam Pomponium nostrum esse, eiusdem operis alia in D. eiusdem Pomponii nomini vindicata fragmenta abunde testantur. Missa iam hac sententia, Dirksenius Beitr. p. 8 in suspicionem Pomponii nomen sub finem §. vocare maluit et duce cod. Regimontano *Sextus Pop.* exhibente legendum proposuit *Sextus Pompeius*, id quod iam Haloander scripserat, vel *Sextus Papirius:* quibus coniecturis fidem non ante habebimus quam quis Pompeius ille, quis Papirius fuerit, demonstratum sit; haud enim ignobilem auctorem, sive iurisconsultus, sive alius quispiam scriptor fuerit, testis loco commemorari patet. Neque vero de Sexto Pompeio, neque de Sexto Papirio quidquam constat. Etenim verissime admonuit Zimmern p. 339, de utroque actum esse, si quidem de Pompeio Ciceroni laudato vel de Papirio apud Pomponium de O. I. §. 42 commemorato, utroque Ciceronis ae-

quali, cogitandum sit, quia id quod Pomponius Dig. l. l. referat, ad Tiberii Caesaris tempora pertineat. Tum ex Callistrato D. L, 16, 220, 1 *) haud magis trahi huc potest Papirius Fronto ICtus, quia hunc si Pomponius laudare voluisset, adiecto cognomine eius curatius designaturus fuisset **). Haud magis perspicio quid sit quod Dirksenius ait, nimium illum Digestorum locum probaturum esse, si rationem eius habere vellemus. Aut igitur omnia eo loco falsa fictaque sunt, quod nemo sanus statuat, neque quisquam umquam statuere ausus est, aut habemus duos cognomines Pomponios ICtos, quod post Ant. Augustinum, Cuiacium aliosque nunc etiam Zimmernius p. 339 statuit, quamvis non ea hic confidentiae assertione, qua quod indubium est, sine cunctatione pronuntiandum est. Omnibus vero huius quaestionis momentis expensis, quae singulatim

---

*) Fragmenti huius scriptura multis nominibus laborat. Initium adscribam: *Liberorum appellatione nepotes et pronepotes ceterique, qui ex his descendunt, continentur: hos enim omnes suorum appellatione lex duodecim Tabularum comprehendit: totiens enim leges necessarium ducunt, cognationem singulorum nominibus uti, veluti filii, nepotes, pronepotes ceterorumve, qui ex his descendunt, quotiens non omnibus, qui post eos sunt, praestitum voluerint, sed solis his succurrent, quos nominatim enumerent.* In his patet primum post *filii* ex ipso Flor. *nepotis* et *pronepotis* rescribendum esse, iam ab Hal. et Vulg. praestitum, nunc etiam a Rehd. confirmatum. Tum pro *cognationem*, quod nullo pacto ferri potest, quo minus cum Hal. *cognationum singularum* recipiamus, tametsi mox Rehd. illud ipsum *ceterarumque* offerat, quod necessario scribendum esset, obest quod *ceterorumve* (malim vero *ceterorumque*) propter antecedentia verba *ceterique, qui ex his descendunt* mutari non debet. Locum restitues, opinor, mecum si reposueris *cognatorum*. Quae terminationum commutatio facillima et in Mss. frequentissima est: v. Adn. cr. in Quintil. P. III. p. 7.

**) Papirius is, cuius liber *de analogia* olim in Ms. bibl. Bobiensis servatus dicitur (v. Muratori Antiq. Ital. aevi medii T. III. p. 820), grammaticis potius accensendus erit. Praeterea *Papirius* nomen a tradita Mss. fide nimium recedit.

enarrare post diligentiam, qua omnia complexus est Zimmernius, otiosi esset, pro certo haberi potest, duos fuisse iurisconsultos Pomponios, quorum ille natu maior, qui post Tiberium vixit, Sexti praenomen habuerit, atque in D. passim *Sextus Pomponius* appelletur, vel etiam simplice praenominis *Sexti* nota laudetur, numquam vero sine praenomine, nisi ubi ex contextu ipso intelligatur, hunc, non alterum Pomponium dici, ut loco Fragm. Vatic. p. 27 ed. Maii, infra iterum laudando, et quidem id non aliam ob caussam quam ut ab altero Pomponio, cuius ex scriptis Excerpta ipsa in D. exhibentur, dignoscatur: alterum vero minorem, cuius praenomen quale fuerit prorsus ignoramus, numquam non uno Pomponii nomine laudatum, Iuliani ICti aequalem fuisse, ita ut alter alterius scriptis recte uti potuerit, id quod revera factum esse constat. Atque inter utrumque distinguitur in Fragm. Vatic. p. 27 ed. Maii, et ita quidem ut qui natu maior fuit, alteri minori praeponatur: *Iulianus subiicit Sextum quoque et Pomponium praeferre* etc. qui locus ita comparatus est, ut si qua supersit dubitatio, unusne solus Pomponius ICtus exstiterit, an duo, ea protinus tollatur. Quem locum si Puchta respexisset, contrariam sententiam non suscepturus fuisset denuo defendendam *): qui in tractanda hac quaestione argutius quam verius iudicasse videtur, quum verba illa *ut refert Sextus Pomponius* Compilatoribus, qui saepe auctoris nomen repetiissent, tribuendo rem expediri statueret, ea quidem ratione ut Pomponii locum isti non ex ipso scripto eius, sed aliunde adscivissent. At quod finxit Puchta vel eo reprobatur, non modo quod Variarum lectionum libri, ex quibus fragmentum Pomponii sumptum est, in ipso scriptorum Catalogo Florentino referuntur, sed quod in ceterorum ex

*) Institutionen T. I. p. 445.

eodem opere allatorum locorum conditione nihil inest, quod illi coniecturae vel tantillum faveat. Ac si quis eam coniecturam forte putet sustentari posse ratione, qua hoc fragmentum citetur: „Pomponius libro XII *ex* variis lectionibus", is recogitet idem fieri etiam alibi, XX, 2, 7, ubi ipsa Pomponii verba, quae illibata recitantur, non sinunt cogitare de frusto aliunde arrepto. Conferri insuper possunt quae infra de Pomponii libris *ad Plautium* adnotabo. Haud firmiore pede incedit quod de crebra eiusdem nominis repetitione adfertur, si quidem id prodire Puchta iubet ex talium locorum auctoritate, qualis est Iuliani D. XXII, 1, 26: *Idem* [Iulianus] *libro VI ex Minicio. Venationem fructus fundi negavit esse, nisi fructus fundi ex venatione constet.* Qui locus, quippe quo Compilatores Puchtae de sententia auctoris nomen oppressissent, quoniam aliunde accersissent, cum nostro nihil habet commune. Tantum enim abest ut haec Iuliani verba alius quispiam, a quo Compilatores sumpsissent, in breve contraxerit, ut id illi more suo ipsi fecisse, et hoc facto in recitanda Iuliani sententia, quum ad tertiam personam redegissent, nomen auctoris scienter omisisse putandi sint. Atque eiusdem generis alii multi in Dig. loci exstant: nullus, quantum sciam, nostro similis, quo quum in praescriptione auctoris nomen scriptum esset, nulla cogitari potest caussa, ob quam Compilatores adiecissent *ut refert Sextus Pomponius.* Immo Pomponius noster sententiae expositae testem laudavit alterum cognominem, praenomine eius de consulto, ut videtur, adiecto, ne quis de antiquioris testis allati persona haereret. Si denique Ulpiani verbis XXX, 32 *quod ita verum esse tam Sextus quam Pomponius putant,* quae in eandem rem probandam haud minoris auctoritatis quam quae supra ex Fragm. Vatic. excitavi sunt, quidquam tribuendum fidei Puchta ideo negat, quod si utrique personae idem Pomponii nomen

competisset, ista loquendi ratio inepta videri deberet: ineptam esse concedam, si quidem primus Ulpianus ad discernendos duos Pomponios ita locutus est: sed conformavit orationem suam ad eam dicendi formam, qua superiores ICti iam in appellandis eorum virorum nominibus ante usi sunt, ut *Sexti* vel *Sexti Pomponii* nomine hunc a posteriore altero Pomponio discernerent: quorum huius, ut qui ad istorum aetatem proxime accederet, nomen praenominis nota curatius designare non opus visum fuit. Ceterum in usu simplicis praenominis quale *Sextus* est, in locum nominis recepti in persona haud ignobili non magis haerendum quam in *Servius*, *Appius*, *Gaius* *).

---

*) V. Puchta p. 447, qui alios secutus *Gaii* ICti nomen pro praenomine habet, quo solo is apud veteres notus fuerit, ita ut quale ipsum eius nomen fuerit nunc ignoremus; neque id verum esse posse negaverim, quamquam mirari licet qui factum sit, ut tam clarus iuris auctor non proprio suo nomine alicubi designatus reperiatur, id quod in iis hominibus accidit, quos modo excitavi, qui modo solo praenomine modo ceteris ipsorum nominibus a veteribus appellati sunt. At semel certe teste Puchta laudatur pleniore nomine *Titus Gaius*, quod cur spernamus nullam dispicio caussam, quum certo certius sit posteriore imperii Romani tempore quum alia praenomina, tum illud ipsum *Gaius* in locum nominis adscitum esse, ut qui eo nominarentur, insuper praenomen suum haberent; quale exstat *Cn. Gaius Pudens* apud Grut. p. 444, 2, *Q. Gaius* ibid. p. 574, 6. Ac *Titum Gaium Eminentem* exhibet lapis Cesaenensis in Revue de philologie T. I. p. 517. Praeterea *Candidinium Gaium* suppeditat inscriptio in Lerschii Centralmus. Rheinl. Inschr. III. p. 54. Itaque et alios multos simpliciter *Gaii* nomine appellatos novimus scriptores, quod non opus est pro praenomine habere: quales v. c. unus inter Agrimensores est, alius emendator Lucani, alius presbyter Graecus, alius item Graecus philosophus, alius scalptor nobilis, de quo v. Raoul-Rochette Questions de l'hist. de l'art. p. 90. Quidni igitur ICtum illustrem pleno suo nomine *Titi Gaii* frui patiamur? Ceterum an haec quae moneo iam occupata sint a Dittmaro, qui Comm. a. 1820 Lipsiae vulgata de Gaii ICti nomine exposuisse fertur conferre mihi haud licuit.

Exceptis iis fragmentis, quae ex Pomponii scriptis variis in Digestis servata sunt, quibusque nonnulla in Fragm. Vaticanis accesserunt, ad nostram usque aetatem nihil, quantum sciam, perlatum est nisi breve admodum quoddam fragmentum, quod ex libro singulari Regularum sumptum putatur, nostris demum temporibus illud cura Crameri in lucem retractum *), postquam in Cuiacii scriptis sepultum fere diu delituerat **). Ac fuerunt, qui an et illud Pomponii nomini iure vindicaretur dubitarent ***). De alio fragmento, quod apud Laurentium Lydum servari dicit Zimmern. T. I. p. 341, v. ad Pompon. §. 35. Librum vero de dea Murcia, quem Pomponius aliquis teste Augustino de civ. dei IV, 16 scripsit, quum fuissent qui ambigerent utrum Pomponio Attico, an oratori Gn. Pomponio, an Melae, an denique ICto adscriberent, certo certius est cum hoc commune nihil habere: immo valde probabilis est Merkelii ad Ovid. Fast. p. XCVIII sententia, intelligendum esse grammaticum Pomponium, a Festo v. *saccomorum* p. 318 laudatum, quem coniicio eundem esse cum M. Pomponio Marcello, de quo Suetonius de ill. gramm. 22.

Coronidis loco Pomponii scriptorum subiungo elenchum ex Catalogo Florentino quamvis imperfecto.

Πομπωνίου ****).

Ad Quintum Mucium lectionum βιβλία τριάκοντα ἔννεα.

Ad Sabinum βιβλία τριάκοντα πέντε.

Ἐπιστολῶν βιβλία εἴκοσι.

Variarum lectionum βιβλία δεκάπεντε.

---

*) Hugonis Civ. Magaz. T. VI. p. 1 sq.

**) V. Boecking post Ulpiani fragm. ed. 1836. p. 103.

***) V. Schunckii Jahrb. d. jurist. Litt. T. VII. p. 128.

****) Cod. Πομπόνιος. Idem vitium ap. Laur. Lydum de mag. I, 48.

Ad Plautium βιβλία ἕπτα *).
Fideicommissorum **) βιβλία πέντε.
Senatusconsultum βιβλία πέντε.
Regularum ***) βιβλίον ἕν.
Ἐγχειριδίου βιβλία δύο.

Imperfectum dixi Catalogum. Nam his scriptis quum alia in Dig. commemorata adiicienda sunt, *de stipulationibus* et *libri ad edictum*, de quibus ut de ceteris consulendus est Zimmern T. I. p. 340 ****), tum illud ipsum *Enchi-*

---

*) Citatur in Dig. plerumque *ex Plautio*. Item Fragm. Vatic. p. 24 ed. Maii.

**) Ita Haloand. pro *Fideicommisson*, compendiose in Cod. exarato, ut fortasse etiam mox *Senatusconsultum* pro *Senatusconsultorum*.

***) Ita Hal. Codex *Regularion*.

****) Pomponio nostro an tribuendum sit opus, quod D. XXIV, 3, 44 *Digestorum ab Aristone* nomine citatur, ideo ambigimus, quoniam Pomponius ibi Sexti praenomine appellatur, si quidem Sextum Pomponium a Pomponio, Enchiridii auctore, recte supra distinximus. Iam si hoc opus ad maiorem Pomponium referre probabiliter liceat, simul aetas eius patet, quandoquidem Aristonem, in cuius scripta commentatus ille videtur, Traiani aetate vixisse constat. V. Zimmern T. I. p. 328. Itaque ad hunc Pomponium referenda sunt quae leguntur apud Iulianum Fragm. Vatic. p. 27 ed. Maii: *Ego, inquit Pomponius, quaero, quid si mixti fuerint liberis extranei heredes? Ait, et filios pro legatariis habendos, et mortui partem interituram: Aristonem autem adnotare haec vera esse: et sunt vera.* Idem eadem de caussa Pomponius dici videtur ibid. p. 25 ex Papiniano: *et ita Neratio et Aristoni videtur, et Pomponius probat.* Idem statuendum de D. XXXIX, 5, 18. Ceterum de hoc Aristone ut aliquid adiiciam, laudatur a Pomponio D. XXIX, 2, 99 *in decretis Frontianis*, uti exstat in Flor. Postremi nominis loco quum dudum intellectum sit, id ex compendio pro *Frontonianis* scriptum esse, qualis hic liber fuerit quaesitum est. Quod Zimmernius T. I. p. 328 coniecit, intelligi decreta Cornelii Frontonis, qui consul a. 100 cum Traiano fuerit, id eam ob caussam displicet, quod agitur de libro aliquo argumenti iuridici: Aristonem autem in decreta aequalis cuiuspiam consulis, si modo

ridion singulari libro conscriptum, ex quo sumptum fragmentum de O. I.: quod ab altero opere cognomine duobus libris comprehenso diversum fuisse, ostendit Rupertus Anim. Praef. p. LI, qui in explicanda horum libellorum differentia quum affirmat, in utroque auctorem non nisi rerum definitiones ac divisiones complexum esse, breviorem tamen tractatu illo de origine iuris et omnium magistratuum et successione prudentium insuper ornatum fuisse, revera discriminis quid fuerit parum perspexisse videtur. Nam ex longiore illo fragmento ex libro singulari D. L, 16, 2, 239, quo Compilatores non continuam Pomponii orationem, sed singulos hinc inde ex eo libello sublectos locos exhibuisse indubium est, quod obiter moneo, planissime patet, auctorem in explicandis singulis iuris civilis formulis iis se continuisse, quae ad rudimenta iurisprudentiae pertinerent: quibus oportebat antea imbutum eum esse, qui ad cognitionem iuris altiorem accessurus esset. Alia vero ratio alterius Enchiridii videtur fuisse, quandoquidem ex D. XXVI, 1, 13, quo de tutela prolixius agit, colligitur, Pomponium in singulis verbis et formulis non constitisse, sed potiores ipsos iuris civilis locos explicuisse, et in doctrinae formam coegisse, ut nonnisi ambitu ab eo genere librorum differret, qui Institutionum nomine ad tradendam disciplinam iuris scripti fuerunt.

Scrib. m. Februario ineunte MDCCCXLVIII.

---

a consule uno proficisci decreta potuerunt, commentatum esse, parum veri simile videtur. Probabilius est, si in re tam obscura aliquid experiri licet, intelligere opus aliquod Papirii Frontonis ICti, cuius Responsorum libri laudantur Callistrato D. L, 16, 220, 1 videlicet *Decretorum* nomine inscriptum, quo et Paulum scimus opus aliquod suum inscripsisse.

POMPONII

DE ORIGINE IURIS

FRAGMENTUM.

POMPONIUS

LIBRO SINGULARI ENCHIRIDII.

Necessarium itaque nobis videtur ipsius iuris originem atque processum demonstrare.

§. 1. Et quidem initio civitatis nostrae populus sine lege certa, sine iure certo primum agere instituit: omniaque manu a regibus gubernabantur. 5

§. 2. Postea aucta ad aliquem modum civitate, ipsum Romulum traditur populum in triginta partes divisisse: quas partes curias appellavit, propterea quod tunc reipublicae curam per sententias partium earum expediebat. Et ita leges quasdam et ipse curiatas ad populum tulit: 10 tulerunt et sequentes reges. Quae omnes conscriptae exstant in libro Sexti Papirii, qui fuit illis temporibus, quibus Superbus Demarati Corinthii filius ex principalibus viris. Is liber, ut diximus, appellatur Ius civile Papirianum, non quia Papirius de suo quicquam ibi 15 adiecit, sed quod leges sine ordine latas in unum composuit.

§. 3. Exactis deinde regibus lege tribunicia, omnes leges hae exoleverunt, iterumque coepit populus Romanus incerto magis iure et consuetudine uti, quam per 20 latam legem: idque prope viginti annis passus est.

§. 4. Postea, ne diutius hoc fieret, placuit publica auctoritate decem constitui viros, per quos peterentur leges a Graecis civitatibus, et civitas fundaretur legibus: quas in tabulas roboreas perscriptas pro rostris com- 25 posuerunt, ut possent leges apertius percipi: datumque est eis ius eo anno in civitate summum, uti leges et corrigerent, si opus esset, et interpretarentur: neque provocatio ab eis, sicut a reliquis magistratibus fieret. Qui ipsi animadverterunt aliquid deesse istis primis 30

3 popolus 20 ali 25 eboreas 26 possint

legibus: ideoque sequenti anno alias duas ad easdem tabulas adiecerunt; et ita ex accidenti appellatae sunt Leges duodecim tabularum, quarum ferendarum auctorem fuisse decemviris Hermodorum quendam Ephesium, exulantem in Italia, quidam rettulerunt.

§. 5. His legibus latis coepit, ut naturaliter evenire solet, ut interpretatio desideraret prudentium auctoritatem necessariamque disputationem fori. Haec disputatio et hoc ius, quod sine scripto venit, compositum a prudentibus, propria parte aliqua non appellatur, ut ceterae partes iuris suis nominibus designantur, datis propriis nominibus ceteris partibus; sed communi nomine appellatur Ius civile.

§. 6. Deinde ex his legibus eodem tempore fere actiones compositae sunt, quibus inter se homines disceptarent: quas actiones ne populus, prout vellet, institueret, certas sollemnesque esse voluerunt; et appellatur haec pars iuris Legis actiones, id est, legitimae actiones. Et ita eodem paene tempore tria haec iura nata sunt: leges duodecim tabularum; ex his fluere coepit ius civile; ex isdem legis actiones compositae sunt. Omnium tamen harum et interpretandi scientia et actiones apud collegium pontificum erant: ex quibus constituebatur, quis quoque anno praeesset privatis. Et fere populus annis prope centum hac consuetudine usus est.

§. 7. Postea cum Appius Claudius proposuisset, et ad formam redegisset has actiones, Gnaeus Flavius scriba eius, libertini filius, subreptum librum populo tradidit; et adeo gratum fuit id munus populo, ut tribunus plebis fieret, et senator, et aedilis curulis. Hic liber, qui actiones continet, appellatur Ius civile Flavianum, sicut ille Ius civile Papirianum; nam nec Gnaeus Flavius de suo quicquam adiecit libro. Augescente civitate, quia deerant quaedam genera agendi, non post multum temporis spatium Sextus Aelius alias actiones composuit, et librum populo dedit, qui appellatur Ius Aelianum.

2 accidentia 7 auctoritate necessarium esse disputationem
24 quoquo

§. 8. Deinde cum esset in civitate lex duodecim tabularum, et ius civile, essent et legis actiones: evenit, ut plebs in discordiam cum patribus perveniret, et secederet, sibique iura constitueret, quae iura Plebiscita vocantur. Mox cum revocata est plebs, quia multae discordiae nascebantur de his plebiscitis, pro legibus placuit et ea observari, lege Hortensia; et ita factum est, ut inter plebiscita et legem species constituendi interesset, potestas autem eadem esset.

§. 9. Deinde quia difficile plebs convenire coepit, populus certe multo difficilius in tanta turba hominum, necessitas ipsa curam reipublicae ad senatum deduxit. *Ita coepit* senatus se interponere, et quidquid constituisset, observabatur: idque ius appellabatur Senatusconsultum.

§. 10. Eodem tempore et magistratus iura reddebant; et ut scirent cives, quod ius de quaque re quisque dicturus esset, seque praemunirent, edicta proponebant, quae Ius honorarium constituerunt; honorarium dicitur, quod ab honore venerat.

§. 11. Novissime sicut ad pauciores iuris constituendi via transisse, ipsis rebus dictantibus, videbatur: per partes evenit, ut necesse esset reipublicae per unum consuli. Nam senatus non perinde omnes provincias probe gerere poterat. Igitur constituto principe, datum est ei ius, ut quod constituisset, ratum esset.

§. 12. Ita in civitate nostra aut Iure, id est lege, constituitur: aut est proprium Ius civile, quod sine scripto in sola prudentium interpretatione consistit: aut sunt Legis actiones, quae formam agendi continent: aut Plebiscitum, quod sine auctoritate patrum est constitutum: aut est magistratuum edictum, unde Ius honorarium nascitur: aut Senatusconsultum, quod solum senatu constituente inducitur sine lege: aut est Principalis constitutio, id est, ut, quod ipse princeps constituit, pro lege servetur.

6 plebis scitis 8 plebis scita 9 interessent 18 praemuniret 19 quae edicta praetorum 20 honore praetoris 23 necESSEt 25 poterant

§. 13. Post originem iuris et processum cognitum consequens est, ut de magistratuum nominibus et origine cognoscamus, quia, ut exposuimus, per eos, qui iuri dicundo praesunt, effectus rei accipitur. Quantum est enim ius in civitate esse, nisi sint qui iura regere possint? Post hoc deinde de auctorum successione dicemus: quod constare non potest ius, nisi sit aliquis iurisperitus, per quem possit cottidie in melius produci.

§. 14. Quod ad magistratus attinet, initio civitatis huius constat Reges omnem potestatem habuisse.

§. 15. Isdem temporibus et Tribunum celerum fuisse constat. Is autem erat, qui equitibus praeerat, et veluti secundum locum a regibus optinebat: quo in numero fuit Iunius Brutus, qui auctor fuit reges eiciendi.

§. 16. Exactis deinde regibus, Consules constituti sunt duo, penes quos summum ius uti esset, lege rogatum est. Dicti sunt ab eo quod plurimum reipublicae consulerent: qui tamen ne per omnia regiam potestatem sibi vindicarent, lege lata factum est, ut ab eis provocatio esset, neve possent in caput civis Romani animadvertere iniussu populi: solum relictum est illis, ut coercere possent, et in vincula publica duci iuberent.

§. 17. Post deinde cum census iam maiori tempore agendus esset, et consules non sufficerent, huic quoque officio Censores constituti sunt.

§. 18. Populo deinde aucto, cum crebra orerentur bella, et quaedam acriora a finitimis inferrentur, interdum re exigente, placuit maioris potestatis magistratum constitui; itaque Dictatores proditi sunt, a quibus nec provocandi ius fuit, et quibus etiam capitis animadversio data est. Hunc magistratum, quoniam summam potestatem habebat, non erat fas ultra sextum mensem retinere.

§. 19. Et his dictatoribus Magistri equitum iniungebantur, sic quomodo regibus tribuni celerum: quod officium fere tale erat, quale hodie praefectorum praetorio; magistratus tamen habebantur legitimi.

6 dein 14 regis

§. 20. Isdem temporibus cum plebs a patribus secessisset, anno fere septimodecimo post reges exactos, tribunos sibi in monte sacro creavit, qui essent plebeii magistratus; hi dicti Tribuni, quod olim in tres partes populus divisus erat, et ex singulis singuli creabantur, vel quia tribuum suffragio creabantur. 5

§. 21. Itemque ut essent, qui aedibus praeessent, in quibus omnia scita sua plebs deferebat: duos ex plebe constituerunt, qui etiam Aediles appellati sunt.

§. 22. Deinde cum aerarium populi auctius esse coepisset: ut essent, qui illi praeessent, constituti sunt Quaestores, qui pecuniae praeessent, dicti ab eo quod inquirendae et conservandae pecuniae causa creati erant. 10

§. 23. Et quia, ut diximus, de capite civis Romani iniussu populi non erat lege permissum consulibus ius dicere: propterea quaestores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus praeessent; hi appellabantur Quaestores parricidii, quorum etiam meminit lex duodecim tabularum. 15

§. 24. Et cum placuisset leges quoque ferri, latum est ad populum, uti omnes magistratu se abdicarent; quo decemviri constituti anno uno, cum magistratum prorogarent sibi, et cum iniuriose tractarent, neque vellent deinceps sufficere magistratibus, ut ipsi et factio sua perpetuo rempublicam occupatam retinerent: nimia atque aspera dominatione eo rem perduxerunt, ut exercitus a republica secederet. Initium fecisse secessionis dicitur Verginius quidam; qui cum animadvertisset, Appium Claudium contra ius, quod ipse ex vetere iure in duodecim tabulas transtulerat, vindicias filiae suae a se abdixisse; et secundum eum, qui in servitutem ab eo suppositus petierat, dixisse, captumque amore virginis, omne fas ac nefas miscuisse: indignatus, quod vetustissima iuris observantia in persona filiae suae defecisset; utpote cum Brutus, qui primus Romae consul fuit, vindicias secundum libertatem dixisset in persona Vindicis Vitelliorum servi, qui proditionis con- 20 25 30 35

4 hi *om.* 12 (quod) 16 constitueVantur 25 retineret 26 perduxerant 27 fuisse

iurationem indicio suo detexerat; et castitatem filiae vitae quoque eius praeferendam putaret: arrepto cultro de taberna lanionis filiam interfecit, in hoc scilicet, ut morte virginis contumeliam stupri arceret. Ac protinus recens a caede, madenteque adhuc filiae cruore, ad commilitones confugit, qui universi de Algido, ubi tunc belli gerendi causa legiones erant, relictis ducibus pristinis, signa in Aventinum transtulerunt, omnisque plebs urbana mox eodem se contulit; populique consensu partim in carcere necatis decemviris, ita rursus respublica suum statum recepit.

§. 25. Deinde cum post aliquot annos, quam duodecim tabulae latae sunt, et plebs contenderet cum patribus, et vellet ex suo quoque corpore consules creare, et patres recusarent: factum est, ut Tribuni militum crearentur, partim ex plebe, partim ex patribus, consulari potestate; hique constituti sunt vario numero: interdum enim viginti fuerunt, interdum plures, nonnumquam pauciores.

§. 26. Deinde cum placuisset creari etiam ex plebe consules, coeperunt ex utroque corpore constitui. Tunc, ut aliquo plures patres haberent, placuit duos ex numero patrum constitui; ita facti sunt Aediles curules.

§. 27. Cumque consules avocarentur bellis finitimis, neque esset qui in civitate ius reddere posset: factum est ut praetor quoque crearetur, qui Urbanus appellatus est, quod in urbe ius redderet.

§. 28. Post aliquot deinde annos non sufficiente eo praetore, quod multa turba etiam peregrinorum in civitatem veniret, creatus est et alius praetor, qui Peregrinus appellatus est ab eo quod plerumque inter peregrinos ius dicebat.

§. 29. Deinde cum esset necessarius magistratus, qui hastae praeesset, Decemviri stlitibus iudicandis sunt constituti.

§. 30. Eodem tempore et Quattuorviri, qui curam viarum gererent; et Triumviri monetales, aeris, argenti,

10 necati Decemviris *om.* 12 (quam) 22 pluris 24 aBocarentur 34 praeessent in litibus

auri flatores: et Triumviri capitales, qui carceris custodiam haberent, ut cum animadverti oporteret, interventu eorum fieret.

§. 31. Et quia magistratibus vespertinis temporibus in publicum esse inconveniens erat, Quinqueviri constituti sunt cis Tiberim et uls Tiberim, qui possent pro magistratibus fungi.

§. 32. Capta deinde Sardinia, mox Sicilia, item Hispania, deinde Narbonensi provincia, totidem praetores, quot provinciae in dicionem venerant, creati sunt, partim qui urbanis rebus, partim qui provincialibus praeessent. Deinde Cornelius Sulla quaestiones publicas constituit, veluti de falso, de parricidio, de sicariis: et praetores quattuor adiecit. Deinde Gaius Iulius Caesar duos praetores, et duos aediles, qui frumento praeessent, et a Cerere Cereales constituit. Ita duodecim praetores, sex aediles sunt creati. Divus deinde Augustus sedecim praetores constituit. Post deinde divus Claudius duos praetores adiecit, qui de fideicommisso ius dicerent; ex quibus unum divus Titus detraxit, et adiecit divus Nerva, qui inter fiscum et privatos ius diceret. Ita decem et octo praetores in civitate ius dicunt.

§. 33. Et haec omnia quotiens in republica sunt magistratus, observantur; quotiens autem proficiscuntur, unus relinquitur, qui ius dicat. Is vocatur Praefectus urbi, qui Praefectus olim constituebatur, postea fere Latinarum feriarum causa introductus est, et quotannis observatur. Nam Praefectus annonae et vigilum non sunt magistratus, sed extra ordinem utilitatis causa constituti sunt; et tamen hi, quos Cistiberes diximus, postea aediles senatusconsulto creabantur.

§. 34. Ergo ex his omnibus decem tribuni plebis, consules duo, decem et octo praetores, sex aediles in civitate iura reddebant.

§. 35. Iuris civilis scientiam plurimi et maximi viri professi sunt. Sed qui maximae dignationis apud populum Romanum fuerunt, eorum in praesentia mentio

6 ultis possint 37 qui eorum 38 (eorum)

habenda est, ut appareat a quibus et qualibus haec iura orta et tradita sunt. Et quidem ex omnibus qui scientiam nancti sunt, ante Tiberium Coruncanium publice professum neminem traditur; ceteri autem ad
5 hunc vel in latenti ius civile retinere cogitabant, solumque consultatoribus vacare potius quam discere volentibus se praestabant.

§. 36. Fuit autem in primis peritus Publius Papirius, qui leges regias in unum contulit. Ab hoc
10 Appius Claudius unus ex decemviris, cuius maximum consilium in duodecim tabulis scribendis fuit. Post hunc Appius Claudius eiusdem generis maximam scientiam habuit. Hic Centimanus appellatus est; Appiam viam stravit, et aquam Claudiam induxit, et de Pyrrho
15 in urbe non recipiendo sententiam tulit. Hunc etiam actiones scripsisse traditum est, primum de usurpationibus, qui liber non exstat. Idem Appius Claudius, qui videtur ab hoc processisse, R litteram invenit, ut pro Valesiis Valerii essent, et pro Fusiis Furii.

20 §. 37. Fuit post eos maximae scientiae Sempronius, quem populus Romanus σοφὸν appellavit: nec quisquam ante hunc aut post hunc hoc nomine cognominatus est. Gaius Scipio Nasica, qui optimus a senatu appellatus est, cui etiam publice domus in sacra via data est,
25 quo facilius consuli posset. Deinde Quintus Mucius: qui ad Carthaginienses missus legatus, cum essent duae tesserae positae, una pacis, altera belli, arbitrio sibi dato utram vellet referret Romam, utramque sustulit, et ait Carthaginienses petere debere utram mallent
30 accipere.

§. 38. Post hos fuit Tiberius Coruncanius, ut dixi, qui primus profiteri coepit: cuius tamen scriptum nullum exstat, sed responsa complura et memorabilia eius fuerunt. Deinde Sextus Aelius, et frater eius Publius
35 Aelius, et Publius Atilius maximam scientiam in profitendo habuerunt: ut duo Aelii etiam consules fuerint. Atilius autem primus a populo Sapiens appellatus est. Sextum Aelium etiam Ennius laudavit, et exstat illius

13 Centemmanus 19 Valesii *pro* Valesiis Furiis *pro* Furii
38 laudaBit

liber, qui inscribitur Tripertita: qui liber veluti cunabula iuris continet. Tripertita autem dicitur quoniam lege duodecim tabularum praeposita, iungitur interpretatio, deinde subtexitur legis actio. Eiusdem esse tres alii libri referuntur, quos tamen quidam negant eiusdem esse. Hos sectatus ad aliquid est Cato. Deinde Marcus Cato, princeps Porciae familiae, cuius et libri exstant; sed plurimi filii eius, ex quibus ceteri oriuntur.

§. 39. Post hos fuerunt Publius Mucius, et Brutus, et Manilius, qui fundaverunt ius civile. Ex his Publius Mucius etiam decem libellos reliquit, Brutus septem, Manilius tres; et exstant volumina scripta, Manilii monumenta. Illi duo consulares fuerunt, Brutus praetorius, Publius autem Mucius etiam pontifex maximus.

§. 40. Ab his profecti sunt Publius Rutilius Rufus, qui Romae consul et Asiae proconsul fuit, Aulus Verginius, et Quintus Tubero, ille Stoicus, Panaetii auditor, qui et ipse consul. Etiam Sextus Pompeius, Gnaei Pompeii patruus, fuit eodem tempore: et Coelius Antipater, qui historias conscripsit, sed plus eloquentiae, quam scientiae iuris operam dedit: etiam Publius Crassus, frater Publii Mucii, qui Mucianus dictus est; hunc Cicero ait iurisconsultorum disertissimum.

§. 41. Post hos Quintus Mucius Publii filius, pontifex maximus, ius civile primus constituit, generatim in libros decem et octo redigendo.

§. 42. Mucii auditores fuerunt complures; sed praecipuae auctoritatis Aquilius Gallus, Balbus Lucilius, Sextus Papirius, Gaius Iuventius. Ex quibus Gallum maximae auctoritatis apud populum fuisse Servius dicit. Omnes tamen hi a Servio Sulpicio nominantur; alioquin per se eorum scripta non talia exstant, ut ea adeo omnes adpetant. Denique nec versantur omnino scripta eorum inter manus hominum: sed Servius eis libros suos complevit, per cuius scripturam ipsorum quoque memoria habetur.

§. 43. Servius, cum in causis orandis primum locum, aut pro certo post Marcum Tullium optineret, traditur

4 dein 16 Paulus 17 Pansae *pro* Panaętii 22 Lucius *pro* Publius 33 ad *pro* adeo 34 eis *om.* 35 pro-scriptura 38 optinereTraditur

ad consulendum Quintum Mucium de re amici sui pervenisse; cumque eum sibi respondisse de iure Servius parum intellexisset, iterum Quintum interrogasse, et a Quinto Mucio responsum esse, nec tamen percepisse, et ita obiurgatum esse a Quinto Mucio; namque eum dixisse, turpe esse patricio et nobili, et causas oranti, ius in quo versaretur ignorare. Ea velut contumelia Servius iactatus operam dedit iuri civili, et plurimum eos, de quibus locuti sumus, audiit: institutus a Balbo Lucilio, instructus autem maxime a Gallo Aquilio, qui fuit Cercinae; itaque libri complures eius exstant Cercinae confecti. Hic cum in legatione perisset, statuam ei populus Romanus pro rostris posuit, et hodieque exstat pro rostris Augusti. Huius volumina complura exstant; reliquit autem prope centum et octoginta libros.

§. 44. Ab hoc plurimi profecerunt, fere tamen hi libros conscripserunt: Alfenus Varus, Gaius, Aulus Ofilius, Titus Caesius, Aufidius Tucca, Aufidius Namusa, Flavius Priscus, Gaius Ateius Pacuvius, Labeo Antistius, Labeonis Antistii pater, Cinna, Publicius Gellius. Ex his decem libros octo conscripserunt, quorum omnes, qui fuerunt, libri digesti sunt ab Aufidio Namusa in centum quadraginta libros. Ex his auditoribus plurimum auctoritatis habuit Alfenus Varus, et Aulus Ofilius: ex quibus Varus et consul fuit, Ofilius in equestri ordine perseveravit. Is fuit Caesari familiarissimus, et libros de iure civili plurimos, et qui omnem partem operis fundarent, reliquit. Nam de legibus Vicensimae primus conscripsit, et de iurisdictione. Idem edictum praetoris primus diligenter composuit; nam ante eum Servius duos libros ad Brutum perquam brevissimos ad edictum subscriptos reliquit.

§. 45. Fuit eodem tempore et Trebatius quidem, Cornelii Maximi auditor; fuit Aulus Cascellius Quinti Mucii et Volcatii auditor: denique in illius honorem testamento Publium Mucium nepotem eius reliquit heredem; fuit autem quaestorius, nec ultra proficere voluit, cum illi etiam Augustus consulatum offerret. Ex his

8 tractatus 19 PacuBius 29 conscribit 33 qui idem 34 Corneli Cascelius 34. 35 Quintus Mucius VolOsii

Trebatius peritior Cascellio, Cascellius Trebatio eloquentior fuisse dicitur; Ofilius utroque doctior. Cascellii scripta non exstant, nisi unus liber Benedictorum; Trebatii complures, sed minus frequentantur.

§. 46. Post hos quoque Tubero fuit, qui Ofilio operam dedit; fuit autem patricius, et transiit a causis agendis ad ius civile: maxime postquam Quintum Ligarium accusavit, nec optinuit apud Gaium Caesarem. Is est Quintus Ligarius, qui cum Africae oram teneret, infirmum Tuberonem applicare non permisit, nec aquam haurire, quo nomine eum accusavit, et Cicero defendit. Exstat eius oratio satis pulcherrima, quae inscribitur pro Quinto Ligario. Tubero doctissimus quidem habitus est iuris publici, sed et privati, et complures utriusque operis libros reliquit; sermone etiam antiquo usus affectavit scribere, et ideo parum libri eius grati habentur.

§. 47. Post hunc maximae auctoritatis fuerunt Ateius Capito, qui Ofilium secutus est, et Antistius Labeo, qui omnes hos audivit; institutus est autem a Trebatio. Ex his Ateius consul fuit: Labeo noluit, cum offerretur ei ab Augusto consulatus, quo suffectus fieret, honorem suscipere; sed plurimum studiis operam dedit, et totum annum ita diviserat, ut Romae sex mensibus cum studiosis esset, sex mensibus secederet, et conscribendis libris operam daret. Itaque reliquit quadringenta volumina, ex quibus plurima inter manus versantur. Hi duo primum veluti diversas sectas fecerunt. Nam Ateius Capito in his, quae ei tradita fuerant, perseverabat: Labeo ingenii qualitate et fiducia doctrinae, qui et ceteris operibus sapientiae operam dederat, plurima innovare instituit; et ita Ateio Capitoni Masurius Sabinus successit, Labeoni Nerva; qui adhuc eas dissensiones auxerunt. Hic etiam Nerva Caesari familiarissimus fuit. Masurius Sabinus in equestri ordine fuit, et publice primus respondit, posteaque hoc coepit beneficium dari a Tiberio Caesare; hoc tamen illi concessum erat. Et ut obiter sciamus, ante tempora

1 Cascelio, Cascelius 2 Cascelii 4 frequentatur 5 hoc 6 transit 11 aurire 14 sed *om.* 21 sOffectus 22 fieret, et) 23 Romai 30 operis 32 Massurius qui *om.* 34 Massurius 35 scripsit *pro* respondit

Augusti publice respondendi ius non a principibus dabatur; sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant: neque responsa utique signata dabant; sed plerumque iudicibus ipsi scribebant, 5 aut testabantur, qui illos consulebant. Primus divus Augustus, ut maior iuris auctoritas haberetur, constituit, ut ex auctoritate eius responderent, et ex illo tempore peti hoc pro beneficio coepit. Et ideo optimus princeps Hadrianus, cum ab eo viri praetorii peterent, 10 ut sibi liceret respondere, rescripsit eis: hoc non peti, sed praestari solere; et ideo si quis fiduciam sui haberet, delectari se; populo ad respondendum se praepararet. Ergo Sabino concessum est a Tiberio Caesare, ut populo responderet, qui in equestri ordine iam grandis 15 natu, et fere annorum quinquaginta receptus est. Huic nec amplae facultates fuerunt, sed plurimum a suis auditoribus sustentatus est. Huic successit Gaius Cassius Longinus, natus ex filia Tuberonis, quae fuit neptis Servii Sulpicii: et ideo proavum suum Servium Sul- 20 picium appellat. Hic consul fuit cum Surdino temporibus Tiberii; is et plurimum in civitate auctoritatis habuit, eousque donec eum Caesar civitate pelleret. Expulsus ab eo in Sardiniam, revocatus a Vespasiano diem suum obiit. Nervae successit Proculus. Fuit 25 eodem tempore et Nerva filius: fuit et alius Longinus ex equestri quidem ordine, qui postea ad praeturam usque pervenit; sed Proculi auctoritas maior fuit. Nam etiam plurimum potuit, appellatique sunt partim Cassiani, partim Proculiani: quae origo a Capitone et 30 Labeone coeperat. Cassio Caelius Sabinus successit, qui plurimum temporibus Vespasiani potuit; Proculo Pegasus, qui temporibus Vespasiani praefectus urbi fuit; Caelio Sabino Priscus Iabolenus; Pegaso Celsus; patri Celso Celsus filius et Priscus Neratius: qui 35 utrique consules fuerunt, Celsus quidem et iterum; Iaboleno Prisco Aburius Valens, et Tuscianus, item Salvius Iulianus.

20 Quartino 21 sed *pro* is et 23 Vespassiano 24 obit 29 Proculeiani 31. 32 Vespassiani 33 Iavolenus 36 Iavoleno Aburnus

ADNOTATIO CRITICA

AD

POMPONII

DE ORIGINE IURIS

FRAGMENTUM.

ADNOTATIO CRITICA.

Enchiridii] Titulus II D. libri primi, ubi totum Pomponii de origine iuris fragmentum servatum exstat, inscribitur *De origine iuris et omnium magistratuum et successione prudentium.* Verissima haec tituli in Flor. inscriptio, in Codd. quibusdam male ita vitiata, ut *eorundem,* vel etiam *eorum* pro *prudentium* legatur: quam scripturam, post alios etiam a Clossio Cod. Digesti vet. descr. p. 27 condemnatam, eo certius patet falsam esse, quo probabilius videtur, totam hanc rubricam ad argumentum Pomponiani fragmenti compositam esse, cuius tripartita haec ratio est, ut primum de origine iuris, h. e. legum Romanarum, deinde a §. 13 de origine et nominibus magistratuum, ut auctor eo loco ipse ait, denique a §. 34 de successione eorum qui iuris civilis scientiam nacti et professi sint, vel prudentium, ut ipse appellat, vel auctorum, ut §. 13 dicit, agatur. Ceterum verba *Necessarium — demonstrare,* quibus totum fragmentum introducitur, Pomponii si sunt, ut credere fas est propter initium §. 1, vocem certe *itaque* a Compilatoribus (liceat et mihi barbaro hoc nomine uti, aliorum exemplum quippe secuto) probabiliter coniicias profectam esse, quoniam in ea conclusio continetur sententiae a Gaio in praecedenti fragmento expositae: *namque, nisi fallor, istae praefationes et libentius nos ad lectionem propositae materiae producunt* (ni malis cum codd. multis *perducunt*), *et cum ibi venerimus, evidentiorem praestant intellectum.* Sunt enim innumera fragmentorum exempla, quorum ipsa orationis forma singularis, ut non dicam de imperfecta vel abrupta veluti in ipsius Pomponii fragmento D. I, 1, 2, plane ostendit manum Compilatorum, verba scriptoris sententiarum or-

dini vel addendo quaedam vel leniter mutando accommodantium. Quale illud est Tertulliani I, 3, 27, quod incipit: *Ideo quia antiquiores leges ad posteriores trahi usitatum est;* quae orationis forma ab auctore ipso profecta esse nequit, sed adiiciendo *ideo quia* a Compilatoribus composita est, scilicet sententiam istam accommadaturis praecedenti Pauli fragmento: *Non est novum, ut priores leges ad posteriores trahantur.* Etenim si qua laboris pars fuit, qua Compilatores in concinnandis D. auctorum fragmentis de suo quidpiam admiscerent, ea imprimis videtur pertinuisse ad restituendum singularum sententiarum sese deinceps excipientium nexum logicum. Unum instar omnium producam exemplum ad evidentiam rei quam maxime idoneum locoque, quem tractamus, simillimum, I, 5, 1: *Omne ius, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiores.* Sequitur iam Hermogeniani fragmentum: *Cum igitur hominum caussa omne ius constitutum sit, primo de personarum statu* etc. quibus continuo ex Gaio tertium iungitur: *Summa itaque de iure personarum divisio haec est* etc. Non potest latere quem quam, in his fragmentis particulas *igitur* et *itaque* Compilatoribus deberi.

nobis videtur ipsius] Vulgatam olim fuisse statuit Schraderus Civil. Abhandl. II. p. 368 *videtur nobis in primis ipsius.*

§. 1.

Et quidem] Ita omnes Edd. a Schradero collatae praeter Tortis. 1491. 1494. 1498. 1506 *equidem* exhibentes.

populus] Flor. *popolus*, quod Geb. adnotare neglexit. V. ad §. 46 *suffectus.*

sine lege certa] Interpretis esse cuiusdam vult Marcilius in *Interpr. XII Tabul. init.* GEBAVER. Mag. Vacarius ed. Wenck. *sine certa lege*, quam vulgatam lectionem olim fuisse censet Schraderus l. l.

instituit] Codd. 1 et 3 Clossii Codd. Dig. descr. p. 211 *constituit*, sententia, ut idem censet, minime apta.

manu a regibus] Ramus *manu regia.* Hal. *manu regis*, et ita teste Schradero Edd. Ienson. Kob. 1482. Syber. 1482. Silig. 1482, probatum Raevardo De auctoritate prudent. c. 1, improbatum Mureto Comm. de origine iuris p. 151 (Otto Thes. T. IV), tum etiam Ruperto Anim. in Pompon. I, 2. p. 49 ed.

Uhlii et Bynkershoekio Praeterm. *Manu* idem quod voluntate sua, ex arbitrio. Simile illud Senecae Consol. ad Marc. 19: *liberos eiurent et orbitatem manu faciant*, quod contulit praeter alia multa minus apta Rupertus l. l. De variis, quibus totum hunc locum VV. DD. tentarunt, explicationibus v. Smallenburg ad Schulting. Not. in Dig. T. I. p. 30 sq.

gubernabantur] Mag. Vacar. *gubernantur*, elegans lectio, iudicio Wenckii, non meo,

§. 2.

ipsum Romulum] Hal. *ipse Romulus*, quod praepropere Beckius arripuit. Lectionem susceptam firmat M. Vacar. Eadem accusativi structura §. 35. Alia similia cumulavit Rupertus Anim. I, 3. p. 54. Smallenburgius conferri iubet Oudendorp. ad Sueton. Othon. 7.

divisisse] Cod. 3 Clossii p. 211 *dimisisse*, calami lapsu. Ceterum idem Cod. cum 1 et 2 Clossii mutato ordine *divisisse pop. in trig. partes.*

quas partes] Omittunt *partes* M. Vacar. et Cod. Clossii 1, haud male: sed interim ferendum est ob similes verborum repetitiones praesertim in constructione relativi apud probatissimos scriptores, quos inter ipse Cicero est, cuius, ne plura, v. Div. in Caec. 1: *si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me requirerent*, quibuscum conferenda haec c. 13: *quum illius temporis mihi venit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum sit*, ubi Lambinus cum Manutiis *diei* pro *temporis* vulgavit, Asconii, qui vulgo appellatur, auctoritate, nunc etiam fide Lagomars. 27 firmata, nisus. Ac confitendum *illius temporis*, ut cum ceteris Zumptius exhibuit, sequente *quo die* ob inconcinnam orationis formam valde displicere, et cum altera illa lectione protinus commutarem, nisi Priscianus et Donatus qui eam scripturam norunt, tuerentur. Addam alterum exemplum ex Frontone De orat. p. 239. ed. Rom. *unam solam posse causam incidere, qua causa claudat aliquantum amor erga te meus.* Quid? quod infra §. 8 legitur: *sibique iura constitueret, quae iura Plebiscita vocantur*, ubi v. not.

appellavit] Hal. *appellarit.*

propterea quod etc.] Fallor, aut totus hic locus valde impeditus, licet a nemine, quantum sciam, adhuc in suspicionem

vitii vocatus. Clossius unus de interpunctione sollicitus, quoniam verba *propterea — expediebat* ad proxime praecedentia tantum referri possent, maiorem distinctionem post *divisisse* ponendam proposuit: id quod verissimum est, quum nullo modo sententia iusta prodeat, si ad rationem logicam iungamus *divisit — quoniam expediebat.* Minus tamen aptum, quod idem suasit, ut post *appellavit* semicolon scriberetur. Sed verba iam iunctis *appellavit, propterea quod expediebat,* si ad *expediebat* Romulus intelligitur, haud melius propter *tunc* procedunt, quod cui ex adverso ponatur nihil habet. Neque potest *expediebat* impersonaliter accipi. Hoc enim sensu *expedit* accusativum adsciscere nequit, neque potest ob *curam* iungi voci *rei publicae,* quemadmodum Inst. 1, 8, 2 dicitur: *expedit rei publicae, ne* etc. Agitur enim non tam de caussa, ob quam populum Romulus in triginta partes diviserit, quam unde eas partes *curias* appellarit, nempe a *cura* sive a *curando.* Qua in etymologia Pomponius si erravit, auctoritate Varronis excusabitur, qui, teste Nonio v. *curiam,* de vita pop. Rom. eandem proposuerat. Idem de L. L. V, 155: *Curiae duorum generum. Nam et ubi curarent sacerdotes res divinas, ut curiae veteres: et ubi senatus humanas, ut curia Hostilia.* Et VI, 46: *Curiae, ubi senatus rem publicam curat, et illa, ubi cura sacrorum publica.* Neque aliter posteri, ab hac disciplina profecti, veluti Festus: *Curia locus est, ubi publicas curas gerebant . . . Curiae etiam nominantur, in quibus uniuscuiusque partis populi Romani quid geritur, quales sunt hae, in quas Romulus populum distribuit, numero triginta.* His adducor, ut aut post v. *curam* verbum, quale est *gerere,* ut in Festi loco, vel *agere,* omissum, aut scribendum esse *rem publicam curare* censeam, id quod leniore medicina effici videatur recordanti tibi, *rem publicam* sigla R. P. olim scriptum fuisse. Plaut. Pers. I, 2, 24:

Sed sumne ego stultus, qui rem curo publicam?
Ubi sunt magistratus, quos curare oporteat?

Cf. Trin. IV, 3, 50.

sententias] Mag. Vacar. cum Clossii Cod. 2 et 3 *sententiam.*

Et ita] Mag Vacar. *Itaque.* Clossii Cod. 2 *ita et.*

et ipse] Clossii Cod. 3 *etiam ipse.*

tulerunt — composuit] Omittuntur ap. Mag. Vac.

et sequentes reges] Edd. Kob. 1482 *leges et sequentes.* Furliv. 1484. Honat. 1484. Thores. 1491. Tortis. 1490. 1494. 1498. 1502. 1506 et Ragazon. cum Clossii Cod. 1 (hic tamen *reges* in marg. a rec. m.) *et sequentes leges.* Post *reges* addit *leges* Clossii 3, quae ipsa verborum collocatio manifestum glossae indicium prodit, simulque ostendit, qua omnino via *leges* in contextum etiam ceterorum Mss. immigraverit.

conscriptae] Clossii Cod. 2 *scriptae.*

Sexti] Cuiacius refert, in variis Mss. hanc notam VI. reperiri, et inde forte esse mendum *Sexti,* quare cum Ruperto legimus *in libro sexto Papirii.* BRENKM. Scilicet infra §. 36, ubi v. not., Papirius audit *Publius,* quae praenominis differentia in eodem libello ferri non potest: nam utique absonum, quod fuere qui statuerent, duos fuisse Papirios diversos. Apud Dionysium Antiq. III, 36 (quo loco pro ἀναστροφήν, quod nihili est, revocandum ex Cod. Vatic. ἀναγραφήν) appellatur *Gaius,* quod nomen praeoptat Einertus Diss. I. de Papirio et iure Papiriano, Lips. 1798, §. 12. Iam de scriptorum discrepantia in tam incerta rei vetustae fama ego quidem non laboro, neque quidquam decerno. A mente autem Pomponii, cuius de scriptura solum agitur, alienam esse lectionem *sexto,* satis coarguunt quae mox sequuntur verba *is liber,* cf. Zimmern Gesch. d. Röm. Privatr. I, 1. p. 88 sq. In hac nominis optione nobis data, ex proclivi siglarum *P* et *S* inter se scriptura valde similium commutatione facile repetenda, utrum nomen a Pomponio utroque loco scriptum sit dubius, Codicis scripturam cum ceteris editoribus interim exprimendam curavi. Ceterum Edd. vett. Schradero notatae *S* pro *Sexti* exhibent, praeter Syber. 1482 neque hoc neque illud habentem, et Ienson. *sex* offerentem. Ex his pro *libro* habent *libris* Ienson. Kob. 1482. Syber. 1482 et Silig. 1482. Praeterea Clossii Cod. 1 ut Flor.; 3 *libris VI;* 2 *VI libro Pap:* cui postremae lectioni insistens, simul etiam exemplo confisus impresso per Iac. Galicum a. 1477 *in libro sex Papirii* exhibente, Clossius Conradi coniecturam utroque viro indignam, comprobavit, scriptum olim fuisse antiquo dicendi more *in libros sex Pap.:* quam coniecturam refutare otiosi fuerit, neque quisquam ad defendendam insolentem constructionem ex §. 31 *in publicum esse* attulerit, quod certe in

rem probandam efficacius fuisset exemplis iis, quae ex Cicerone Clossius admovit. V. ad §. 31. Aliorum sententias de Papirii, non *Papyrii*, ut olim nomen scribebatur, praenomine enumerat Smallenburgius p. 34.

Papirii] Reinecc. Antiq. Rom. iurispr. Prooem. p. 2 mavult *Papisii*.

Superbus] Opinionem de Superbo, quod Tarquinius Priscus sit, recte refutat Ant. Augustinus de nom. propr. Pand. col. 275. not. c. quod Papirius, si Prisci temporibus vixisset, non potuisset omnium regum colligere leges. Hal. vocem *Superbus* non habet. GEBAUER. Commenta eorum, qui Priscum aut intelligerent aut nomen eius reponendum censuissent, iam Muretus refutarat Comm. l. p. 152. Cf. Zimmern l. l. Ut hoc loco, ita etiam apud Liv. II, 1. Tarquiniorum ultimus simplice *Superbi* nomine notatur. Multo impeditiora vero sunt quae sequuntur verba *Demarati Corinthii filius*, in quibus vel corrigendis, vel explicandis VV. DD. operam perdidisse, docuit Gebauerus. „Taurellius, inquit, in Annotatis *superbus Demarati etc. sic in Pan. et in veteri manuscripto.* Quo ipso innuere videtur, etiam Tarquinium Priscum Demarati filium fuisse appellatum *superbum.* [Idem statuerat Cuiacius.] Sed Papirius, ut dictum, ad Prisci tempora referri nequit. Ant. Augustinus *de nom. propr. Pand. col. 257. not. c.* Sunt, inquit, qui existiment scribendum *filI*, filius aut FILIus. Huius loci non recordatus est Corn. van Bynkershoek. qui inter *Praetermissa* hoc retulit. Premit autem hanc coniecturam quod bis peccasse videantur brevitate librarii, alter scribendo *filI* loco *filii*, alter *FILIus* loco *filI filius*, et quod insolitum sit τὸ *filii filius*, loco *nepos*, et quod causa non adsit idonea, cur avi mentio sit facta, patris non item.“ Rursus alii alia tacenda tentarunt, refutata a Ruperto Anim. I, 4. p. 60, ipso rem in medio relinquente. Cf. etiam Smallenburg. p. 33. Neque memoria lapsum esse Pomponium in re tam triviali, ausim cum Mureto statuere: neque Compilatorum error esse potest. Neque denique quicquam Einerti (Diss. I de Papirio et iure Papiriano, Lips. 1798) coniectura proficimus, legendnm proponentis *Superbus et Demarati Cor. filius.* Mihi quidem ista verba ex margine irrepsisse videntur, quo quis in simplice nomine *Superbi* offensus ea scilicet explicationis caussa adiecerit, Livii I, 34 (*Damarati Corinthii filius erat*) fortasse male me-

mor. Iisdemque verbis Interpres Ambros. Tullii Or. pro Sulla 7 (Maii Auct. class. T. II. p. 257.) de Prisco usus est. Ceterum et ipsa nominis forma *Demaratus*, cuius loco olim *Damaratus* fuisse constat (v. ad Cic. de rep. II, 19, cui hanc formam restituendam esse censeo) novitium istorum verborum auctorem coarguere possit, etsi non valde mirarer, si eo modo Pomponius scripsisset. Clossii Codd. et Schraderi Edd. miras librariorum stribligines exhibent *Demariti*, *Demarithi*, *Dei verati*, *Democati*.

viris] Edd. Kob. 1482. Honat. 1484. Thores. 1491. Tortis. 1490. 1494. 1498. 1502. 1506. Ragaz. et fortasse Clossii Codd. 1 et 2 *iuris*.

Is] Copulam *que* cum Clossianis Codd. 1 et 2 adiiciunt tredecim omnes Edd. vett. a Schradero inspectae, ex quibus Syber. 1482. Silig. 1482 et Furliv. 1484 *hisque*. Quum vix sufficiens caussa cogitari possit, ob quam copula omissa fuerit, Clossius p. 214 admonet, parum abesse, quin eam lectionem Florentinae praetulerit.

Is liber, ut diximus] Forte Pomponium in antecedentibus huius Iuris Papiriani mentionem fecisse, sed eam periodum a Compilatoribus Pand. esse omissam, putat Pothier. in not. ad h. l. SMALLENBVRG. Parum probabiliter. Immo spectat manifeste ad verba praecedentia *exstant in libro Sexti Papirii*, ubi v. not.

Papirius] Clossii Cod. 2 *Paupirius*.

quicquam ibi] Clossii Cod. 3 *ibi quicquam*. Abest *ibi* ab Ed. Syber. 1482.

adiecit] Clossii Cod. 3 *adiecisset*. In vett. impressis Clossius ferri ait *adiecerit*, quae lectio pro vulgata eius temporis haberi possit.

quod] Clossii Cod. 2 *quia*.

§. 3.

deinde] Mag. Vacar. *demum*.

lege tribunicia]. Goveanus I. Varior. 21 Tribunitiam legem putat esse Terentillam a C. Terentillo Arsa Trib. Pl. latam; sed rectius Russard. Tribunitiam legem ad Brutum refert Tribunum Celerum. BRENKM. Item sensit Rupertus Anim. I, 4, ubi simul aliorum sententiae haud probabiliores castigantur. Atque Clossius l. l. notatu dignum censet, suorum codicum tertii scribam distinctione posita iam cavere voluisse, ne verba *lege tribunicia*

cum sequentibus praeter rei veritatem iungerentur. Sub *ci* in Codd. 1 et 2 puncta esse adnotavit Clossius: in 3 est *Tribuniana.*

hae] Vulgo *hae* deest. BRENKM. Abest etiam a Clossii Codd. 1 et 3 et a vett. impressis, eodem Clossio notante p. 215.

exoleverunt] Clossii Cod. 3 *exexoleverunt* Edd. Kob. 1482. Tortis. 1490. 1494. 1498. 1502. 1506 *exoluerunt.*

incerto] Praemittunt *in* Edd. Ienson. Kob. 1482. Furliv. 1484. Honat. 1484. Tortis. 1490. et Ragaz.

et consuetudine uti] Hal. habet *et consuetudine aliqua uti.* In ipso Cod. Flor. supra *quam,* quod proxime sequitur, scriptum est *quanti,* ac si corrector ex hisce tribus *ali, quam, per* facere voluisset *aliquantisper,* quod utique plane nullius usus fuisset, quare nec τὸ *quam* videtur ausus expungere. MSS. Codd. undecim [Gebauerus decem tantum reperit] *consuetudine aliqua (uti) quam.* In MS. Taurinensi IV pro *et consuetudine* scriptum est *ex cons.* Bynckershoekius ad vestigium Cod. optimi reponendum censet *agi,* id est, *regi.* BRENKM. Etiam Mureto *agi* legendum videbatur, probatum Ruperto Anim. I, 4. p. 65. *Et consuetudine aliqua uti* Mag. Vacar. et Clossiani Codd. tres cum omnibus impressis vett., teste Clossio p. 215, insuper monente, ubi Brenkmannus in Flor. *aliquanti* legerit, alium fortasse lecturum esse *aliqua uti.* Dedi, donec meliora aliquando quis afferat, id quod et sententiae convenire maxime, et ex vitiosa codicum scriptura facillime prodire visum est, quodque iam repositum invenio Ecloga iuris civilis, Parisiis 1822, in qua exstat hoc de O. I. fragmentum. Etenim voce *uti* semel in *ali* corrupta, ex adscitis proximis elementis gigni *aliqua* oportuit, retento simul vitiose *quam.* Praeterea phrasis *consuetudine uti* infra recurrit §. 6. Fateor tamen, haec mihi non plane satisfacere, quoniam cum iis non bene coeunt sequentia *per latam legem:* immo paullo liberius si agere liceat, malle me *agere,* id quod §. 1, quo locus noster aperte spectat, praestat: quae iam Schroderi Obs. p. 76 sententia fuit. Geb. et Kriegel. Florentinam exhibuerunt *et consuetudine ali, quam* etc. Beck. *et consuetudine aliqua uti.*

per latam legem] Hal. *perlata lege.* Vat. IV. *prolata lege.* Vat. I. *praelata lege.* BRENKM. Si in lectione a me suscepta *consuetudine uti* standum est, oportuit sane scribi *perlata lege,*

quod expressit Beckius: sed id ipsum, quoniam phrasi *perlata lex* nullus hic locus est, me adduxit, ut Flor. scripturam a Codd. Clossianis firmatam interim servarem, egregie ei rationi dicendi convenientem, qua locum olim conscriptum fuisse modo conieci. Etenim uti proprie *lege agere* dicitur, ita etiam *per legem agere* dicere licuit, quemadmodum Ovidius dixit Heroid. XVI, 267:

nostra per has leges audacia fortior isset.

Aliena autem, ut dixi, *perlatae legis* notio, de qua v. Manut. de leg. p. 842. Cic. de rep. II, 31, ubi v. nobis not. p. 219. Plin. H. N. XXXIV, 6, 15. Liv. III. 51. *Rogatio perlata est,* idem XXXVIII, 36. *Causa perlata* ex certissima coniectura Haloandri in D. XXXIV, 3, 20, ubi vulgatur: *Et absolvo ei* *) *et libero ex pignoribus eius domum et possessionem Caperlatam.* Constat *causa* compendiose *ca̅* scribi solitum esse: v. Ind. siglar. in Gaii cod. repertarum p. LXXXIV. Atque *m* littera nata est ex initio seq. *Modestinus,* errore Florentini librarii frequentissimo.

idque — passus est] Omittit Mag. Vacar. Post *idque* addit Clossii Cod. 1, ex glossemate, ut Clossio visum, *quidem.*

viginti] Bynkershoek. scriptum existimat *VIginti* et exponi debuisse *sexaginta.* BRENKM. Idem statuerat Rupertus Anim. I, 4. p. 62 aliique, quos laudat Smallenburgius p. 34, spreto Cuiacio monente: „Anni, si numerentur a regibus exactis, sunt multo plures, sed si, ut oportet, a legibus regiis, lege tribunicia sublatis, sunt fere XX. Ait, *fere,* quia summatim, non subtiliter et exacte, eam annorum computationem facit, quem morem et Ciceroni familiarem esse, Asconius notavit in Pisonem.“ Si quid hoc loco a librariis peccatum fuit, quod ut credamus persuadere nobis contra Cuiacium studet Leewius, scribendum *XVI,* quippe ex quo facile *XX* nasci potuerit. Tot enim annos Ciceronem numerasse refert Asconius ad Cornelianam p. 75. 76. Orell. atque ipse Tullius de rep. II, 33: *non longo,* ait, *inter-*

---

*) Haloandrum secutus omisit *ei* Beckius. Equidem malim scribi *eum,* ut referatur phrasis ad *neminem molestari volo nomine debiti.* Duplex enim ratio in praecedentibus ponitur: neminem molestandum esse, neque exigendum aliquid ab eo: quibus respondent *absolvo eum et libero ex pignoribus eius domum* etc.

vallo, sexto decimo fere anno, quem presse sequitur Eutropius I, 12. Pomponius, quicum plane Livius et Laur. Lydus de mag. Rom. I, 38 congruunt, infra §. 20 *anno fere septimo decimo* tribunos plebei creatos tradit: ex quo loco simul patet, quae hic sequuntur *postea ne diutius* etc., si ipsa tempora spectantur, non continuo cum antecedentibus iungi, quo planissime refutatur Ruperti et Bynkershoekii opinio, quippe de annorum spatio ab exactis regibus ad decemviratum agi ratorum. Alii aliter de hoc loco statuerunt, de quorum sententiis exposuit Smallenburgius, ipse cum Lyzaco Obs. apolog. pro ICtis Rom. p. 6 verba praecedentia *quam per legem latam*, quorum sensus esse deberet „quam ante latam legem, quae reges eiecerat", corrupta censens.

annis] Ed. Ienson. *annos*.

§. 4.

placuit] Bynkerh. transponi vult verba in hunc modum: *placuit publica auctoritate, peterentur leges a Graecis civitatibus, et decem constitui viros, per quos civitas fundaretur legibus*. BRENKM.

decem] Glossa videtur Schultingio et Smallenburgio.

decem constitui viros] M. Vacar. *decem viros constitui*, mox omittens verba *a Graecis — tabulas*. De legatione Athenas missa insignem Gaii ex Comm. in XII Tab. locum servavit Lydus de mag. Rom. I, 34, Dirksenio non neglectum, in quo quod unus eorum Aulus *Marcius* pro A. *Manlio* (v. Drak. ad Liv. III, 31) appellatur, id librario malim quam auctori ipsi vertere vitio.

roboreas] Ad fidem codd., quantum sciamus, omnium adhuc vulgatum *eboreas*, cuius loco quum fuissent, qui, Scaligero viam monstrante, id quod tandem in contextum suscipere ausi sumus, legendum suasissent, nunc ne mole variarum de vexatissimo hoc loco sententiarum, quas post Schultingium p. 34 et Smallenburg. p. 35 diligenter exposuit Zimmern p. 101, obruamur, rei consultum optime videbitur, si susceptae lectionis ratio ita reddatur, ut omnis disputatio in singulorum rei momentorum examine quam maxime conciso contineatur. Ac primum quidem quodsi ebore tabulas traditur primitus factas esse, id erroris manifeste eo coarguitur, quod tempore illo nullus aut rarissi-

mus eboris Romae usus fuit. Quod enim ex Flori I, 5 Rupertus Anim. I, 4. p. 66 *eburneas sellas* excitat, id nihili esse inspicienti patebit: neque magni aestimarim testimonium Dionysii Antiq. III, 61 et 62 ab eodem laudati, in ornamentis regum Romanorum antiquissimis sellam eburneam, sceptrum eburneum referentis. Tum praeter Pomponium alius quisquam scriptor eboreas eas tabulas fuisse non perscripsit. Contra aeri incisas leges XII Tab. fuisse, uno consensu testantur Livius III, 57. Diodorus Sic. XII, 26. Dionys. Hal. Ant. X, 57. Sed id quum per se parum probabile sit, tum prisco tempore tabulis non aere, sed robore factis leges a Romanis inscribi solitas esse, diserte tradit Dionysius III, 36, confirmatque Porphyrio ad Hor. in Pis. 399: neque idem etiam de legibus XII Tab. statuendum esse, in dubium umquam vocatum fuit. Adde quod priscis temporibus robur litteris insculpendis adhibitum esse firmatur iis, quae de sortibus inscriptis tradit Cicero de div. II, 41. Quae testium discrepantia tantum abest ut rei traditae fidem convellat, ut etiam augeat: immo quid rei fuerit, dudum a peritis intellectum est, videlicet tabulas illas primitus roboreas, quum periissent, sive incendio Romae Gallico combustae, quod quidam Livio VI, 1 potissimum nisi haud improbabiliter censuerunt, sive alio casu absumptae, posthac reficctas atque aeri incisas esse. Itaque quum posterior aetas nonnisi aeneas tabulas nosset, Pomponium, si tabulas sua ipsius aetate servatas designare voluit, aereas appellare, sin pristinorum simul temporum rationem habere, utriusque materiae iuxta mentionem facere decuit. Neque aliter facere poterat, si quidem ex Cypriani testimonio recte iudicatur, aerearum tabularum exemplum quarto etiamtum saeculo exstitisse. Haec si ita sunt, Pomponium, si ebore factas dixit, quod praeter eum, ut monui, nemo veterum dixit, absurdum fuisse oporteat, quandoquidem pro aestimatione eboris sua ipsius aetate magni habiti splendidioris materiae fuco ipsum rei vetustae splendorem extollere sibi visus fuerit, id quod ad expediendam rem controversam Niebuhrius excogitarat, hac de caussa iam notatus a Dirksenio. Haec Pomponii aevo nonnisi a stolido homine confingi poterant, neque scriptore qualicunque veritatis studioso digna sunt. Neque denique ea interpolatio, si qua facta est, repeti ab iis probabiliter potest, qui Enchiridii locum in Digesta transtulerunt: si enim in Pomponio suo *roboreas*, aut *aereas*, aut deni-

que utrumque reperiebant, quorum unum alterumve non poterant non reperire, ii quum eius in locum *eboreas* substituerent, falsi crimen commisissent, quo agendi modo in munere ipsis demandato usos eos esse, neque per se credibile est, neque id factum esse, certo aliquo potest demonstrari exemplo. Aliud est, prolixiora vel etiam quae a re aliena viderentur in scriptis ICtorum concidere, contrahere vel etiam omittere, qua ratione in tractandis illorum libris eos usos esse constat: aliud genuina adulterare, nova atque adeo antea inaudita et falsa inferre. Ac si quid mutare voluissent, multo probabilius videbitur, eos tum in tam recenti rei memoria *aereas* scripturos fuisse quam cum periculo fraudis *eboreas:* cuius lectionis originem iam non dubito a mero librariorum errore repetere. Adde quod Pomponius, quum *roboreas* scriberet, non solum veritati, ut par erat, fidem habuit, sed simul etiam vulgari posterioris aevi famae institit, quo conditionem illam tabularum pristinam de memoria vulgi excidisse eo minus credibile videtur, quod earum legum severitas iam olim reprehensa et in vulgi ore servata in proverbium abiisse videtur: quod testatur verborum lusus, quo in hanc rem, ut videtur, usus est Auctor Queroli Plaut. p. 18. ed. Patav. *Illic iure gentium vivunt homines: ibi nullum est praestigium [an praesidium?]: ibi sententiae capitales de robore proferuntur, et scribuntur in ossibus . . . Neque dives ego sum, neque robore uti cupio, nolo iura haec silvestria*: quamquam me non fugit, alio modo totum hunc locum a Daniele acceptum esse, accipique posse.

composuerunt] MS. Bynkersh. sine glossis *posuerunt.* BRENKM. *Composuerunt* ferri potest: sed malim *proposuerunt*, MVRETVS. Livius l. l. *in aes incisas in publico proposuerunt.* Nihil tamen mutandum, quum praesertim et Dionysius l. l. simpliciter dicat ἔθεσαν ἐν ἀγορᾷ, defenditque vulgatam Cuiacius. Malebant *proposuerunt* et Schroder Obs. p 77 et Van Vaassen Animadv. crit. ad fastos Rom. sacros p. 144 et 164.

ut possent — percipi] Prava videtur esse explanatio harum notarum V. D. P. R. L. P. CVIACIVS. Videlicet *unde* (vel *ubi*) *de plano recte legi possint,* ut explicuit illas notas Coletius De notis et siglis, Venetiis 1785. p. 399. Pro *ut* M. Vacar. *ubi.*

possent] Ita cum Hal. et Mureto, quos nunc Beckius quoque secutus est, pro vulg. *possint* dedi, qui Pomponium a

recta modorum constructione non meminerim unquam deflectere, propter ambiguitatem sensus ex modorum diversitate pendentem eo certius servata.

percipi] Ita Flor. Vulgo *perspici.*

est] Omittit M. Vacar.

eis] Kriegel. *iis,* hic et alibi. Illam formam constanter Flor.

summum] Codd. M. Vacarii *fi' uñ,* unde effecit Wenckius *fieri unde:* illud merus est librariorum error, compendium, quo *summum* scriberetur, ignorantium.

uti et etc.] Hal. *uti et leges corrigerent, si opus esset, et interpretarentur.* Vulg. *uti leges, corrigerent, et, si opus esset, interpretarentur.* Ita etiam Pal. I. III. IV. alii. BRENKM. Cum his facit M. Vacarius.

eis] Kriegel. *iis.*

Qui ipsi] Hal. et M. Vacar. Cod. I *qui ipsi cum.* Vulg. *qui et ipsi,* cum M. Vacarii Cod. IV. Huius Cod. II *quod ipsi,* III *quod si ipsi.*

animadverterunt] M. Vacar. *adverterent.*

duas ad easdem tabulas] Vulg. *duas eisdem tabulis.* Pal. I. III. IV. *duas eisdem tabulas.* BRENKM. M. Vacarius *duas eisdem in titulis,* ubi Wenckius adnotavit p. 97: „H. e. (si genuinam v. *titulus* significationem respicias) pariter pro rostris. Sed haec lectio, per se non mala, parum congrua est Vacario, qui superius *tabularum* mentionem omisit, ut v. *duas* iam non habeat, quo referatur. *Eisdem tabulas* C. II. III. *eisdem tabulis* IV.

ex accidenti] Al. *ex accidenti,* et ita sex MSSta. BRENKM. Reperi in Collatione Lectionum variantium Barb. Vat. IV. S. Cruc. Bynk. annotatos: Trevisanum tamen habere ut Florentiae est *[ex accidentia].* Hal *ex accidente.* Taurell. in Adnotat. *accidentia, sic in Pan. in vet. accidenti, rectius.* GEBAVER. Repositum M. Vacarius quoque et insuper tres Clossiani codd. Adhaesit extrema *a* in *accidentia,* quod frustra defendit Munckerus Mythogr. Lat. T. 2. p. 150, ex sequentis vocabuli *app.* initio. Iavolenus XXXV, 1, 56: *scindi ex accidenti conditio non debet.* Adde Iulian. ib. 2, 51. Beck. *ex accidente,* qua lectione corruptelae origo obscuratur.

quarum ferendarum etc.] Totus hic de Hermodoro locus omittitur a M. Vacario.

exulantem] Beck. *exsulantem.*

rettulerunt] Ita Flor. Edd. *retulerunt.*

§. 5.

legibus] Addit *ita* Mag. Vacarius.

interpretatio] Ut ad interpretationem iuris prudentium auctoritate et fori disputatione opus videbatur, ita sub regum imperio Cicero de rep. V, 2, 3 ait illam in aequitate constitisse. De vi vocis *interpretatio* plura Zimmern. T. I. p. 56.

prudentium] Invito Flor. Kriegel. *prudentum*, hic et alibi.

auctoritatem etc.] Taurellius in Adnotat. *auctoritate necessariam esse disputationem fori, in P. disputatione . quod si admittimus, oportet esse auctoritatem . in vetusto codice est auctoritatem, necessariamque esse disputationem fori . rectior tamen videtur nostra lectio, nam sequitur, haec disputatio et hoc ius.* Ipsi tamen in alteram lectionem, *auctoritatem, necessariamque esse disputationem fori,* procliviores sumus. Ita Vat. IV. Pal. I. Taurin. I. IV. Trevis. et Bynkersh. similiter et Vat. I. et II. nisi quod illic τὸ *que* postea sit additum, hic vero τὸ *esse* etiamnum desideretur, sicut etiam in Vatic. III. ubi praeterea pro *necessariamque* est *et necessariam.* Codex S. Cruc. ad praecedentes correctus est. Adde Bynkersh. in *Praeterm. h.* BRENKM. Quod a Gebauer. et Kriegel. vulgatum *auctoritate necessariam esse disputationem fori,* id et sensu caret et iustam non fert constructionem verborum. Quare Haloandri lectionem, Kriegelio quoque in Not. probatam, neque codicum auctoritate, ut vidimus, destitutam, donec aliquis meliora, interim cum Beckio exhibui. Atque ex uno suorum Codd. Clossius certe *necessariamque:* alteri eius duo sine copula. Nam ita, ut nunc vulgatur, locum a scriptore profectum esse, eo minus mihi persuadeo, quo insolentius *coepit — ut* dictum est: cuius usus desidero exemplum. Omnia vero bene procedunt, si olim hunc in modum scripta putes: *coepit, ut naturaliter evenire solet, interpretatio desiderare prudentium auctoritatem necessariamque disputationem fori;* nisi forte *evenit* pro *coepit* legendum, ut sequentia ita scripta fuerint, *ut — solet, ut interpretatio desideraret prudentium auctoritatem necessariamque disp. f.* Aliorum hariolationes, quas tacere praestat, retulerunt Rupertus Anim. I, 6. p. 71 et Smallenburgius p. 38. M. Vaca-

rius *auctoritatem, necessariam esse disputationem fori* et paullo ante *si* pro *ut,* quod accommodatissimum Wenckius censet, veram tamen loci lectionem restitui arbitrans rescribendo *ubi* pro *ut,* vel *si.* Ceterum de totius loci sententia adi Zimmern. T. I. p. 57 sq., et de *disputatione fori* Puchta Institutionen T. I. p. 299. Praeterea notandum, in nota 1 contextus mei exemplo subiecta operarum vitio *necessarium* pro *necessariam* exhibitum esse.

a] Omittit M. Vacar.

ut ceterae — appellatur] Omittuntur ap. M. Vacar. errore librariorum manifesto.

datis — partibus] Hal. non habet, et multis [ut Zasio, Mureto, Bocchovio, Leewio] abundare videntur, invito tamen Bynkersh. in *Praeterm. h.* BRENKM. Et mihi glossam sapere videntur, aut profecta dicas a Compilatoribus. Beckius uncis inclusit. Pro *ceteris* coni. *certis* Vonck Specim. cr. in var. auct. p. 121.

§. 6.

inter se homines] M. Vacar. *homines inter se.* Idem mox mendose *quas accom populus,* omisso *ne.*

prout] Hal. *ut.*

sollemnesque] Ita Flor. Ceteri *sollennesque.*

appellatur] Hal. *appellabatur.*

id est legitimae actiones] Absunt ab Hal. et M. Vacar. delerique iubet Muretus: merito fortasse. Certe a Pomponio ea profecta non esse videntur.

tempore] Omittit M. Vacar.

nata sunt] Idem *esse ceperunt.*

isdem] Haec constans est Flor. scriptura huius vocis, non oblitteranda, id quod plurimi Edd. fecerunt scribendo *iisdem,* reperta etiam in Fragm. Digestorum Neapol. a Gauppio vulgato, p. 33. Cf. Comm. de pronom. Lat. tert. personae p. 45 et 92. Mirabilis tamen huius formae usus iuxta *eis,* quod pro *iis* in Flor. scribi supra monui p. 29.

harum] Harum scilicet XII et omnium, id est, non earum tantum, quae ad ius sacrum vel publicum, sed et quae ad ius privatum pertinebant, et publice, privatimve utiles erant, vel pro *Harum,* quod alio loco notavi [Obs. XVIII, 11], scribe XII

tabularum. CVIACIVS. Assentitur Zepernick Diatr. de iudicat. centumv. p. 317. Bynkersh. *horum,* iam a Mureto propositum, aliisque, quos enumerat Smallenburg. p. 40, probatum. Intelligitur ex proximo *legum,* scil. XII Tab. Discernitur enim recte modo tripartito, ut phrasi *interpretandi,* male a nonnullis sollicitata, ius civile intelligatur: quibus omnibus, quae antea modo posuerat, repetuntur.

scientia] Cuiacius Obs. l. l. *scientiae.*

quis quoque] Ita Hal. et Muretus. Ceteri cum Flor. *quis quoquo,* non ferendum. Infra §. 10: *quod ius de quaque re quisque dicturus esset.* Ad receptam lectionem ducit etiam Pal. IV. *quisque quo,* per metathesin corruptum. M. Vacar. *quis, qui, quoquo.*

privatis] Omittit cum seq. usque ad *usus est* M. Vacar.

fere] Abest ap. Hal.

§. 7.

cum] Invito Flor. Kriegel. et Beck. hic et infra constanter *quum.*

Appius] Omittit M. Vacar.

proposuisset] Vulg. *composuisset,* id quod malebat Muretus.

formam] Cuiacius *formulam,* probante Wissenbachio Emblem. Tribon. c. 1. p. 5. seq., improbante cum ceteris Leewio. Plura apud. Smallenburg. p. 41.

Gnaeus] Hal. *Cneus,* Beck. *Cnaeus;* tum per compendium *Cn.* scribendum fuerat. Quod enim discriminis interest inter *C.* et *Gaius,* idem consentaneum est etiam ad illud praenomen pertinere. V. ad. Cic. de rep. Excurs. I. p. 428. Etiam peius Kriegel. hic et infra *Cneius,* vix notandum, nisi hoc ipso praenomine Flavium nostrum aetate nostra iuris peritos quosdam appellare viderem. In Flavii praenomine *Gnaeus,* cuius loco alii *Gaius* exhibent, scriptores maximam partem consentiunt, scilicet revocata ex melioribus libris quoque loco scriptura genuina. V. Drak. ad Liv. IX, 46. Lion ad Gell. VI, 9.

gratum fuit id munus] M. Vacar. *fuit id munus gratum.*

hic] Hal. *hinc.* Totum hunc locum usque ad verba *essent et legis actiones* omittit M. Vacarius, ita ut pergat *Deinde evenit, ut plebs in disc.*

ille] Hal. *illud.*

quicquam] Beck. hic ut supra et alibi *quidquam*.

quia deerant etc.] Hal. *et qui praeerant quaedam genera agendi composuerunt, nec post multum* etc. Vulg. *qui aderant, quaedam genera agendi composuerunt, non multum post* etc. Conf. Bynkersh. in *Praeterm. h.* BRENKM.

§. 8.

quae iura] Omittit *iura* M. Vacar., non improbante Wenckio. At tu vide ad §. 2 *quas partes*.

Plebiscita] Ita Flor., quod Gebauerus adnotare neglexit, ipse exhibens *plebis scita*, et §. 12 rursus cum Flor. *plebiscitum*, discrimine aliquo haud scio an consulto inter utramque scripturam facto. Etiam maior scripturae fluctuatio apud Krigelios exstat in hoc nomine exhibendo. Minime hic quaeritur de antiqua huius formulae usu, de quo dixi ad Cic. de rep. I, 2. p. 14, sed qua forma Pomponius eiusve aequales vel per me licet Digestorum auctores maxime usi sint: quod an certo explorari possit, dubito. Igitur inhaerendum putavi Pisanae litterae: in qua quum apud Ulpianum IX, 2, 1 una voce item *pleviscitum* scribatur, numquam vero, quantum memini, *plebisscitum*, sive continua, sive intercisa scriptura, reperiatur, dedi eam formam, quae probabilior altera ideo esse videtur, quod si dirimenda vox esset, scribi pro more saeculi istius non debuisset *plebi*, sed oportuisset *plebis*: nam *plebisscitum* una voce Romani omni aetate utique repudiarunt. Ac rei prorsus consentaneum videtur, progrediente tempore antiquam formam *plebei scitum* in unam vocem *plebiscitum* coaluisse, quam solam agnoscunt codd. Iustiniani Inst. I, 2, 4. De discrimine vero utriusque vocis haud magis cogitandum quam de eo, quod inter *respublica* et *res publica* fuisse quidam commenti sunt. Ceterum utor hac occasione ut quae de scriptura antiqua *res publica*, *plebei scitum* similibusque ad Ciceronem me monuisse dixi, ea alio nunc exemplo augeam, ab inscriptione a. u. c. 613 incisa suppeditato, quam ex Furlanetti Museo d'Este p. 29 repetiit Orellius Anal. epigr. p. 47: in quo SENATI CONSVLTO puncto interiecto exhibetur. Item statuendum de v. *satisdatio*, cuius exemplum suppeditat Lex Galliae cis Alpinae col. I. p. 2 SATISVE DATIO, et p. 3 SATISVE DATVM, comparandum cum illo Terentiano *semper lenitas*. In eodemque monumento circa Augusti tempora inscripto p. 4 et 5 exstat PL. VE.

SC, h. e. *plebisve scitum*. Eadem phrasis in Legis iudiciariae fragm. ap. Marin. Fratr. Arv. p. 569.

est] Cum Hal. Beckius *esset* et ita unus M. Vacarii Codex.

pro legibus placuit et ea] M. Vacar. *placuit ea pro legibus*.

Hortensia] Vulg. addit cum M. Vacar. *lata*. De re v. Iustin. Inst. I, 3, 4, unde illud *lata* arcessitum videtur, et Gaii Inst. I, 1, 3.

et ita — eadem esset] Absunt a M. Vacar.

legem] Ita ex Flor. vulgatur. Hal., quem cum Mureto Beckius secutus est, *leges*. Tum cum eodem Beckio *interesset* scripsi, ceteris Flor. *interessent* servantibus, quod nullo modo ferri potest.

autem] Abest ap. Hal.

§. 9.

Deinde] Mag. Vacar. *demum*, ut supra.

difficile plebs] Idem inverso ordine.

populus] Hal. *populusque*, omisso *certe*, id quod etiam Mag. Vacarius omittit, uti et mox verba *in tanta turba hominum*. Haloandri scripturam expressit Beckius.

senatus] Omittit M. Vacar.

observabatur] Cod. III M. Vacar. *conservabatur*.

Senatusconsultum] M. Vacar. *consultum*.

§. 10.

et magistratus] Copula abest a M. Vacar.

scirent cives] Idem *cives scirent*.

quaque] solus Beckius *qua*.

praemunirent] Edd. ex Flor. *praemuniret*. Illud Hal. et Muretus, etiam reclamantibus, ut hic ait, omnibus libris. Probavit praeter Leewium, Bynkersh., Schultingium, Schroderum Obs. I, 1. p. 3, Beckius quoque et firmant Ms. ap. Schroderum et M. Vacarius. Singularis verbi numerus natus errore eorum, qui ad *quisque* referendum putarent.

quae] Omisi cum Hal. quae absurde ex Flor. adduntur verba *edicta praetorum*, quae nemo semel monitus in glossis non referat. Nam non soli praetores, quorum nulla in praecedentibus mentio adhuc facta est, sed intelliguntur magistratus quilibet, quibus edicta proponere permissum fuit: quod non solis praetoribus licebat, sed etiam aedilibus curulibus, ut de edictis censorum,

tribunorum nihil dicam. Gaius Inst. I, 1, 2: *Constant autem iura ex . . . edictis eorum, qui ius edicendi habent.* Idem mox 6: *Ius autem edicendi habent magistratus populi Romani; sed amplissimum ius est in edictis duorum praetorum . . : item in edicto aedilium curulium* etc. Cf. Instit. I, 2, 7. Edictum aedilitium refert Gell. XV, 11. Eiusdem conditionis est vox *praetoris* mox post *honore* de consensu omnium codd. sine ulla vitii suspicione adhuc vulgata, eadem de caussa, qua verba *edicta praetorum*, a me deleta: ad v. *honore* intelligitur ex superioribus *magistratuum.* Duplicem hanc coniecturam meam extra omnem dubitationem ponit Pomponius ipse, qui §. 13 ad hunc ipsum locum respiciens: *aut est*, ait, *magistratuum edictum, unde ius honorarium nascitur.* Neque aliter Cicero, ubi ius civile quid sit egregie his definit, Top. 5: *quod in legibus, senatusconsultis, rebus iudicatis, iuris peritorum auctoritate, edictis magistratuum, more, aequitate consistat:* quae verba, quod obiter moneo, transcripsit I. Victor Rhet. p. 12 ed. Maii. Denique tametsi ius honorarium inprimis apud praetores erat atque ab eo inde tempore, quo munus aedilitium cessaret, ad illos solos referri solebat, tamen ex ipso Inst. l. l. manifeste patet, universe ubi de iuris honorarii nomine et origine sermo est, non potuisse non edicta quorumcunque magistratuum, qui ius edicendi haberent, significari, ita ut honorarium ius simpliciter ab *honore*, h. e. muneris dignitate, dictum fuerit. Legitur enim ibi: *Proponebant et aediles curules edictum de quibusdam causis, quod et ipsum iuris honorarii portio est.* Neque obstant illa Papiniani D. I, 1, 7: *quod et honorarium dicitur, ad honorem Praetorum sic nominatum*, quippe solam nominis originem declarantis, a ceteris iuris interpretibus reprobatam. Posses quidem solam vocem *praetorum* ex glossa natam putare, quoniam repetitio eiusdem vocis (*edicta*) in constructione relativi similibus locis (v. ad §. 2) defendi posse videatur: sed si sumimus de more adnotatorum margini titulum *edicta praetorum* adiectum esse, planius constabit de corruptelae origine. Ceterum a M. Vicario absunt verba *proponebant*, *quae.*

ab honore] Hal. *ad honorem.*

§. 11.

via] In Archetypo Flor. hodieque exstat *vias*, et in Cod. Trevis. idem reperitur, in Bynkersh. [I, notante Clossio Codd.

Dig. descr. in tab. ad p. 188] *viam*, in ceteris omnibus *via*. Praeterea ex IX. MSS. post *pauciores* inserunt *viros*. Bynkersh. transponit *ad viros pauciores*. Glossa est, quam sequens vox *iuris* peperisse videtur. Carent ea Vat. III. et Barb. BRENKM. In Collationibus reperi Vat. IV. S. Cruc. Magliab. Trevisan. annotatos, qui omnes habent: *ad pauciores viros iuris* etc. GEBAVER. M. Vacar. *iura* pro *via*. Receptam lectionem firmant Clossii Codd. 1 et 2; 3 *vias*.

transisse] Beck. *transiisse*.

per partes] Bynkersh. in *Praeterm. h.* coniicit legendum *per patres*, h. e. senatum. BRENKM. Cuiacius κατὰ μέρος interpretatur, quasi reipublicae mutatio sensim et lento progressu facta sit, apte collatis l. 9. §. *penult. ff. de edend. L. 56. §. 3. ff. de iur. dot.* L. 10. §. 1. *quib. mod. ususfr. vel us. amitt. Per partes* apud Columellam IV, 24, 4 alienum. Simile vero *per omnia* §. 11, quicum contendas *per omnia lautus*, quod habet lapis in Bosii Roma sotterranea p. 428. Contraria civium studia in nostro loco haud apte explicuit Vicatus Vocabular. iuris T. III. p. 327.

evenit] M. Vacar. *evertit*, vitiose.

necesse esset] Florentiae legitur necESSEt, more Taurellii, qui tales voces litteris inaequalibus scripsit, ut nempe maiores geminationem indicent, cum Florentiae eiusmodi voces aequalibus litteris sint exaratae, ut haec NECESSET, quod hic in notis semel monuisse sufficiet. GEBAVER. Haec eo consilio transcripsi quo codicem Flor. compendiis scribendi minime carere exemplo uno demonstrarem: quod quanti in scriptura eius recte aestimanda et exploranda momenti sit, non est quod pluribus doceam.

nam senatus — gerere poterat] Desunt ap. M. Vacar.

gerere] Hal. *regere*. Defendunt Florentinam Cuiac. et Bynkersh. *h.* Ex *probe gerere* in Pal. I. enatum *provehere*, et in Vat. IV. *protegere*. Vulg. habet loco *probe* τὸ *provide*. BRENKM. Legendum, ut in aliis, *regere poterat*. Sic et infra scriptum est, *iura regere*, pro iura reddere. Recte autem Accursius huc accommodat exemplum ex l. 3. §. *apparet* 6. *D. de administ. tut.* MVRETVS. Ac revera *regere*, simul scripto *provide* pro *probe*, Cod. 3 Clossii; eiusdem 2 *provide gerere*, et 1 *protegere*, ut Vat. 1, h. e. *probe gere*, quae lectio quamvis vitiosa ipsa ostendit genuinam esse receptam scripturam *probe gerere*, quan-

doquidem constat, geminandas syllabas *rere* infinitivorum passim in Mss. una *re* exaratas reperiri. Neque aliorsum nisi ad eandem lectionem ducit illud *provehere*, natum ex perpetua illa litt. *b* et *v* confusione.

poterat] Hal. et Vulg. *poterat*, et ita scribendum esse mihi non est dubium. BRENKM. Manifestum librarii Flor. vitium *poterant* secure repetiverunt Geb. et Kriegel.

est] Omittit Mag. Vacar.

§. 12.

iure, id est] Absunt a Pal. Cuiacius: „Scribendum videtur, *aut ius*, id est, quod lege constituitur. Lege scilicet XII. et quod ex ea fluxit iure civili et legitimis actionibus."

proprium] Liber Vaticanus *proprie*. MVRETVS. Eodem notante mox idem liber *solo* pro *solum*. Neutram lectionem attulit Gebauer. Ac *solo* praestant tres Codd. M. Vacarii.

aut Plebiscitum] Inserit M. Vacar. *est*.

aut est magistratuum] Omittitur *est* in Ecologae iuris civ. Parisiensis exemplo, quo quum in editionis meae praeviae contextu typis describendo uterer, factum est, ut incuria mea pariter omitteretur.

inducitur] Ed. Corp. Iuris civ. Amstelodami a. 1681 vulgata *indicitur*, operarum, opinor, errore.

sine lege] Alii legunt *sine plebe*. Quod, ut plebiscita sine Senatu, ita et Senatusconsulta sine plebe sint, quam emendationem adiuvant praecedentia verba, *Quod solum Senatu constituente*. GOTHOFR. Assentitur Cannegieterus Obs. II, 3. p. 150. Vulgatam defendit Smallenburg. p. 44.

aut est principalis] Omittit *est* M. Vacar.

ut quod ipse etc.] Idem *si quod principes constituunt*.

§. 13.

ut exposuimus] Abest ap. M. Vacar., ut etiam quod mox sequitur *est* post *quantum*.

Quantum] Hal. *parum*.

nisi] Mag. Vacar. *ut*: immo scripsit *ni*.

regere] Hal. *reddere*, id quod malebant et Muretus et Cuiacius. M. Vacar. *gerere*.

Post hoc deinde] Hal. *post deinde*. Vulg. *post haec deinde*. Pal. III. *post hoc demum*. [Ita M. Vacar.] BRENKM. Ex Flor. *post hoc dein* vulgatum. *Deinde* ut reponeretur, constans

Pomponii postulavit consuetudo; neque vitii latet origo. Unus est locus, quo *dein* hactenus vulgatum est, et quo alia vocis vis esse videtur, §. 38: *iungitur interpretatio, dein subtexitur legis actio.* At etiam hic in Flor. esse *deinde*, quod recipere non dubitavimus, confirmatur testimonio Metelli et paene concedentis ipsius Taurellii in nota adscripta. Mirum vero hoc loco *deinde* iam receptum reperiri in Ecloga iuris civ. Parisiensi, nescio, quo auctore.

non potest ius] M. Vacar. *ius non possit.*

cottidie] Ita Flor. Cum aliis Kriegel. et Beck. *quotidie*, scilicet ut emendarent Pomponium, a cuius aetate, ut de Compilatorum nihil dicam, illa forma scribendi minime aliena fuit. V. ad Cic. de rep. Excurs. XIV. Ac servavit eandem Flor. etiam alibi, veluti ap. Ulpianum X, 4. init. XLIII, 20. init.

§. 15.

celerum] M. Vacar. *inscelerum*, in manifesta vitii origine.

erat, qui] Desunt ap. Hal.

optinebat] Ita plurimi ex Flor. Kriegel. cum aliis *obtinebat.* V. ad Cic. de rep. II, 41. p. 240. sq.

quo in numero — eiciendi] Omittit M. Vacar.

reges eiciendi] Vulg. *reges eiiciendi.* BRENKM. Ex Flor. Geb. Beck. et Krieg. *regis eiciendi* (Beck. et Krieg. *eiiciendi*), quod menti auctoris adversatur. De forma *eiciendi* v. ad Cic. de rep. p. 451.

§. 16.

penes — rogatum est] Absunt ap. M. Vacar.

qui tamen] Debetur Taurellio: nam in Flor. idem ait reperiri *quia tamen*, vel potius Metello teste, *qui aTamen:* quod quomodo Brenkm. concoquere potuerit, non intelligo. Fortasse scripserat *quin tamen*, omisso *ne*, vel fortasse etiam retento. Quod vero Metellus suadere videtur, ut de more librarii geminandas litteras simplice scribere soliti *attamen* legatur, id non ante probabo quam vocis *attamen* postpositae exemplum mihi aliquis ostenderit: quamquam quae de more illo afferuntur, ea verissime habent, multis, si opus, exemplis comprobanda, ex quibus unum affero I, 3, 32, ubi in Cod. scribitur *deficere tunc* pro *deficeret tunc.*

per omnia] V. ad §. 11.

vindicarent] M. Vacar. *vendicarent.*

ut ab eis provocatio esset] Omittit idem, mox exhibens *ne* pro *neve.*

solum — iuberent] Absunt a Mag. Vacar.

in vincula publica duci] Barb. *in vincula produci.* Trevis. *in vincula publica induci.* Ille inepte, hic temere. Vat. IV. et S. Cruc. ut Florentiae. BRENKM. Ita Clossii quoque Codd. tres. Prima syllaba v. *produci* nata videtur ex compendio male explicato, quo *publica* scriberetur.

iuberent] Bynkersh. et Brenkm. malebant *iubere,* quo non opus. V. Smallenburg. p. 46.

§. 17.

deinde] M. Vacar. *demum.*

iam maiori tempore agendus esset] Hal. *maiore t. agendus esset.* Vulg. *maiori iam tempore augendus esset.* In MS. Bynkersh. et Camp. *a maiori tempore.* [Ita M. Vacar.] V. ipsum Bynkersh. in *Praeterm. h.* BRENKM. Muretus, receptam lectionem defensurus, „ita accipiendum est, ait, 17 annos incensus erat populus: cum Consules rebus bellicis occupati huic muneri vacare non possent. Ideo creati Censores.“ V. Liv. III, 22. IV, 8. Sed insolenter, fatendum est, dictum *maiori tempore.* Alii *maiore:* alii, quos laudat Smallenburg. p. 47, rursus aliter.

et consules — officio.] Omittit M. Vacar.

§. 18.

crebra] Deest ap. M. Vacar.; item mox sequentia *et quaedam — interdum.*

orerentur] Revocavi Florentini lectionem, a Kriegel. et Beckio in vulgarem formam *orirentur* praepropere mutatam, quandoquidem nunc ingenti exemplorum copia edocti sumus, ab huius generis formis, ex poetarum usu primitus repetendis, posterioris certe aevi Latinitatem non abhorruisse: nam de prosae scriptoribus antiquis, qualis Cicero est, quibus fuerunt qui eam consuetudinem vindicarent, nemodum mihi persuasit. Cf. Haase ad Reisigii Schol. gramm. p. 250. sq. Halm Beitr. zur Kritik etc. der Annalen des Tacitus p. 17. Weissenborn Zeitschr. f. d. Alterth. 1842. Gymnas. p. 24.

a quibus — data est] Omittit M. Vacar.

potestatem habebat] Inverso ordine M. Vacar.

retinere] Idem *retineri*.

§. 19.

Et his — legitimi] Omittit idem.

iniungebantur] Hal. et Vulg. *iungebantur*, quod probat Bynkersh. in *Praeterm. h.* MSS. sequi Florent. deprehendit Brenkm., puta Barb. S. Cruc. Trevis. GEBAVER. Probat etiam Muretus. Nihil decerno: neque quidquam decerni posse ait Cuiacius, utrumque recte dici posse ratus. Beck. *iniungebantur*. Eadem scripturae varietas ap. Scaevolam D. XIX, 1, 52, 3: *domum mari iunctam*, ubi Hal. *iniunctam*, ut apud Iavolenum ibid. 2, 57: *aream iniunctam ei domui*. Qui loci quum forte ita comparati sint, ut praecedentis vocis syllaba extrema pro ipsius conditione voculam *in* et gignere, quod hic factum statuit Smallenburgius p. 48, et absorbere potuerit, difficillimum est statuere, quid quoque loco olim scriptum fuerit.

tamen] Hal. *enim*, omissa v. *legitimi*. Alii, teste Leewio, hunc locum legunt: *Magistratus enim legitimi habebantur*. Ipse in contextu v. *legitimi* uncis inclusit. Vario modo hunc locum VV. DD. tentarunt, quorum de commentis adi Smallenburg. l. l.

§. 20.

Isdem] M. Vacar. *his*.

anno — exactos] Omittit idem, ut et mox *sibi*.

hi] Neglecta hactenus lectio, ex ipso Flor. revocata, quam Metellus, quem vide, suppeditavit. Eodemque modo Pomponius §. 23 dixit: *hi appellabantur* etc.

olim] Vulg. et MS. Bynkersh. I *tunc*. Idem et M. Vacar.

vel quia — creabantur] Absunt ap. M. Vacar.

§. 21.

in quibus] Melius dixisset *in quas*. MVRETVS, Cod. Campensis *et quibus*, probantibus Bynkersh. et Ant. Fab.

scita] M. Vacar. *sata*.

sua] Abest ap. Hal.

§. 22.

Deinde etc.] Hanc et seq. §. Lydus de mag. Rom. I, 26 ita Graece vertit: Ὡς δὲ τὸ γαζοφυλάκιον τοῦ δήμου εἰς ἐπίδοσιν ἦλθε, προχειρίσθησαν κυαίστωρες ὑπὲρ τῆς αὐτοῦ φροντίδος,

ἀπὸ τῆς περιποιήσεως καὶ φυλακῆς τῶν χρημάτων οὕτως ὀνομασθέντες. Ἐπειδὴ δὲ περὶ κεφαλικῆς τιμωρίας οὐκ ἐξῆν τοῖς ἄρχουσι κατὰ Ῥωμαίου πολίτου ψηφίσασθαι, προεβλήθησαν κυαίστωρες παῤῥικίδιοι [l. παῤῥικιδίου] (ὡσανεὶ κριταὶ καὶ δικασταὶ τῶν πολίτας ἀνελόντων). Quod vero Lydus ista omnia ex Gaio profert (Γάϊος τοίνον ὁ νομικὸς ἐν αῷ ἐπιγραφομένῳ παρ᾽ αὐτοῦ *ad legem* XII *Tabularum*, οἷον εἰς τὸν νόμον τοῦ δυοκαιδεκαδέλτου, ἀυτοῖς ῥήμασι πρὸς ἑρμηνείαν ταῦτά φησιν), id ex manifesto scriptoris errore derivandum esse recte docuit Dirksenius Bruchst. d. XII Taf. p. 109. Cf. Zimmern p. 349. In locum erepti Gaio fragmenti vindicemus ei aliud adhuc, quantum sciam, non notatum, apud Servium ad Verg. Georg. III, 307, ubi leguntur: *Nam apud maiores omne mercimonium in permutatione constabat: quod et Caius Homerico confirmat exemplo.* Quod Homero teste usus dicitur, id de more suo eum fecisse, alius ostendit locus ex Comm. in XII Tab. D. L, 16, 236: ex quo Gaii scripto quum primo illud fragmentum sumptum putarem, vidi posthac, verius illud libro eius ad Edictum tribui posse, quandoquidem post Sabinum, quem affert, Paulus item ex libris suis ad Edictum, D. XVIII, 1, 1, eodem Homeri loco, qui exstat Iliad. ε, 472, in eandem rem usus est, ceterum in sententiarum discrepantia aliorum quidem ICtorum, minime vero, quod notandum, Gaii memor.

auctius] Taurell. in Adnot. *auctius. Sic in vet. in Pan. auctu: aptatumque antiquitus, auctius. Sed nec inepta prior lectio. auctu. s. populi esse coepisset aerarium.* Habent *auctum* Vat. IV. Pal. I. III. IV. Illud addendum, antiquissimo tempore *i* superne inter *t* et *u* velut insertum esse, *s* vero longe demum post adiectum videri. BRENKM. Defendit primaevam Florentinam Scipio Gentilis in *Parerg.* c. 34. GEBAVER. Praestat quidem lectio recepta. Sed fatendum, Florentini scripturam non difficili opere etiam in *auctum* torqueri posse.

ut essent] Abest ap. Hal.; item verba mox sequentia *qui pecuniae praeessent*, quae etiam Muretus deleta vult, non sine iustae caussae specie. Uncis inclusit Beckius.

quod] Abesse videtur a MSS.; sed exstat ap. M. Vacar.: itaque uncis, quibus adhuc inclusum fuit, liberavimus.

erant] M. Vacar. *essent.* Quae sequuntur §§. 23—25 absunt a M. Vacar.

§. 23.

hi] Beckius, nescio, unde *hique*. Non opus copula videbitur coll. §. 20.

parricidii] Hal. *paricidii*.

§. 24.

magistratu] Hal. *magistratus*. Muretus: „Budaeus legit *ut omnes magistratu se abdicarent*. Ego, si quid mutandum sit, legerem *ut omnes magistratus abdicarent*. Sed ferri potest vulgata: nam ut abdicare, ita abdicare se, recte dicitur, *l. penult. D. de offic. praesidis*", D. I, 18, 20: *Legatus Caesaris — abdicando se non amittit imperium*. Sed hic locus alienus, quoniam ad *abdicando se* intelligitur *munere*. De consuetudine vulgari dicitur *magistratu se abdicare*, apud ipsos iuris auctores frequentatum, minime vero *magistratus se abdicat*, quod vereor ne numquam dictum sit. At non sine exemplo est *magistratus abdicat*, ut Mureti coniectura admitti sane possit et lectioni Flor. propter *omnes* fortasse praeferenda sit. V. Smallenburg. p. 51.

quo] Hal. *et*, quod suscepit Beckius. Cocceius: „Budaeus legit *quoad*, quod verbum sequentia respuunt. *Quo* positum videtur pro *quo facto*."

constituti] Addit Hal. *sunt*, quod suum fecit Beckius.

anno uno] Hal. inserit *hi*, praemisso puncto. [Ita Beckius.] Ceterum adde huic loco non unam medicinam facientem Bynkersh. in *Praeterm. h.* BRENKM. Illa verba cum praecedenti verbo *constituti* iungenda, quod et uno elapso, in unum alterum prorogatum. COCCEIVS.

et cum] Quidam veteres libri *et pum*. Lego *et populum*. MVRETVS. Quod probat Cocceius. Hal. *et rem*. Conradus Praef. ad Bynkershoek. Opusc. var. argum. *et eum*, scil. magistratum. Tydemannus ap. Smallenburgium *civem* in *cum* latere suspicatus est. Vulgatam recte ita defendit Heckenhoek. Spec. contin. selecta quaedam in iure publ. et civ. observata p. 10, ut *magistratum* ex praecedentibus subaudiatur.

magistratibus] Cum Hal. Muretus et Vinnius *magistratus*, quod arripuit Beckius: quo non opus. V. Ruperti Anim. II, 5. p. 123.

retinerent] Ita ex Hal. Ecloga iur. civ. Paris. et Beckius. Ceteri ex Flor. *retineret*.

rem] Hal. *rempublicam*.

perduxerunt] Ex Flor. vulgatum ad Kriegel. usque *perduxerant.* Illud Hal., postulante constructione, ut §. seq. Haloandrum Beckius solus secutus est.

Initium etc.] Balduinus totum hoc, quod ab hisce verbis est usque ad verba *populi consensu,* adscititium censet fragmentum, nec Pomponii esse, quum nihil pertinere videatur ad brevem magistratuum historiam, nec satis cohaerere cum sequentibus. COCCEIVS.

fecisse] Ad fidem codicum, ut videtur, omnium ad hunc diem vulgatum *fuisse,* quod vix Latinum. Quod reposui, tam facile fuit inventu, ut propter hanc ipsam caussam coniecturae meae diffidam. Comparari potest *sectas facere* §. 47. Ex Smallenburgio p. 51, quem sero consului, posthac edoctus sum, in eandem lectionem Schroderum quoque incidisse Obs. I, 13. p. 81.

secessionis] Liber Vatic. teste Mureto *secessioni.*

Verginius] Vulg. *Virginius*, quod Muretus quoque malebat, quodque invito Flor. nuper Krieg. quoque et Beck. reddiderunt. At certe in Livio III, 44 meliores libri, quos inter est Flor., *Verginius,* quod ut altera forma in monumentis inscriptis multo frequentius est, ita etiam antiquior nominis scriptura esse videtur, cuius in locum *Virginius* posthac ita suffectum fuit, ut utrumque usu veniret. V. ad Cic. de rep. II, 37. Receptam scripturam firmat Laurentius Lydus de mag. I, 34, qui a Digestorum contextu, ut constat, totus pendet.

contra ius, quod ipse etc.] Liv. III, 44: *postulant, ut . . . lege ab ipso lata vindicias det secundum libertatem,* quibus in verbis notanda phrasis antiqua ab ipsa re petita *secundum libertatem,* a Pomponio item usurpata et translata paullo ante in verbis *secundum eum.* Tum Flor. I, 24 de Appio Claudio: *oblitus . . . et iuris, quod ipse composuerat.* Verba ex *vetere iure* Muretus interpretatur, ex regiis legibus, haud male. Ceterum in transcursu notabo formulam manumissionis ex lapide antiquo descriptam in Ferussaci Bulletin des sciences historiques 1827. No. 2. p. 152: *A te peto Eutychianum alumnum meum manumittas vindiciaque liberes item Aprilem servum meu* (sic) *qui solus ex ministerio meo superavit.*

tabulas] Hal. *tabularum.*

abdixisse] Pal. I. *abdicasse.* Budaeus restituit *abiudicasse:* praeter rem. BRENKM. Cum Budaeo facit Leewius.

vindicias secundum libertatem dixisset] V. Drak. ad Liv. l. l. Cato apud Festum v. *Vindiciae* p. 376: *Praetores secundum populum vindicias dicunt.* Goettling. Röm. Staatsv. p. 138.

Vindicis] Vulg. *Vindicii*, ex Livio II, 5, ut puto.

filiae] Addit Hal. *suae*, susceptum a Beckio.

arrepto] Taur. in Adnot. *arrepto. Sic in vet. arrecto in Pan. quasi erecto elatoque ad vulnerandum.* Barb. *accepto.* BRENKM. Magl. tamen ut Taur. et Vat. III. ut et Trevis. *arrepto.* GEBAVER. Clossii Cod. 1 et 3 *arepto.*

madenteque] Vulg. *madensque*, et ita plures Mss. Codd. adstipulante Bynkersh. BRENKM. Codices illi sunt Vat. IV. S. Cruc. Magl. Trevis. GEBAVER. Atque horum codicum lectioni, etiam a Mureto, Cuiacio, Schrodero l. l. probatae, a Beckio susceptae, magis, fateor, favent tum Livius III, 50: *strictum etiam telum, respersusque ipse cruore, tota in se castra convertit,* tum Dionysius Antiq. XI, 40: ἀφικνεῖται περὶ λύχνων ἁφὰς ἐπὶ τὸν πρὸς Ἀλγιδῷ χάρακα, τοιοῦτος, οἷος ἐκ τῆς πόλεως ἐξέδραμεν, αἵματι πεφυρμένος ἅπας, καὶ τὴν μαγειρικὴν μάχαιραν διὰ χειρὸς ἔχων. Denique ipsa loquendi consuetudo, veluti apud Ovidium Met. XIII, 388:

quique cruore
saepe Phrygum maduit, domini nunc caede madebit.

Vergilius Aen. IX, 333:

atro tepefacta cruore
terra forique madent.

Idem XII, 691: *sanguine Terra madet.* Itaque si cui Florentinam scripturam iusto tenacius servasse videro, is velim expendat, nihil esse cur non aeque *cruor madens* dici queat, tum quod *filiae* appositum est, quod abest a Livii et Dionysii locis, videri potius sermonem esse de cruore filiae adhuc madente, quam de patre, qui filiae cruore adhuc madeat.

de Algido] Vulgo additur *de Algido monte*, et post *in Aventinum montem.* BRENKM.

belli gerendi] Hal. *belligerandi.*

pristinis] Vulgo *protinus*, quod praestare videtur: etsi Livius l. l. milites, qui Aventinum montem occupassent, fuisse dixerit *nullodum certo duce.*

contulit etc.] Hal. *contulit, ita populi consensu partim decem viris in carcere necatis, partim in exsilium actis, rursus res publica* etc. A Florentina *[contulit. populique consensu partim in carcere necati. Ita]* non recedendum probe monet Bynkersh. *h.* BRENKM. Sane ut Flor. habent Vat. I. II. III. IV. S. Cruc. Magliab. Trevis. Taurin. I. neque tamen omittendum, in Taur. IV esse *partim in carcere necatis.* Taur. in Adnot. *populique consensu* etc. *sic. in Pan. et in vet.* GEBAVER. Hoc duce Beck. et Kriegel. Florentinam scripturam expresserunt, hi una cum suspicionis nota, huic loco iam ab editore principe adiecta. Vinnius olim, quoniam tum propter historiam, tum quoniam *partim* numquam non geminata reperiretur, addi iussit verba *partim in exilium acti.* In hoc loco refingendo si recte conieci, a mentione *decemvirorum* vitio omissa proficiscendum esse, bene omnia procedunt, neque quo loco id nomen inseras aptior poterit reperiri quam quo inserui; neque audacius id factum videbitur, quam si quod nemodum aegre tulit, invito Flor. ad verborum structuram supplendam §. 22 *quod,* vel §. 25. *quam* inseramus, quum praesertim vocis *decem virorum* omissio ex ignorantia compendii *XV,* quo ea scribi solita est, orta putari queat. Quid? si forte eius loco invasit *ita,* quo facile careamus. In reliqua loci parte citra codicum fidem nihil mutavi. Sed ut libere fatear, fallor, aut locus multo maiorem quam vulgo putatur labem contraxit. Etenim ut *partim* semel positum nihil offensionis per se habeat, tamen res ipsa, quam Pomponius narrat, suadet, ut de altero hic posito cogitemus, si quidem teste Livio decemviri *partim* in carcere necati, *partim* in exilium missi sunt. Illud iam si Pomponius memoriae tradendum censuit, nulla caussa excogitari potest, cur non etiam alterum simul adiecerit. Quae quum ita sint, mihi quidem habeo persuasum, nonnulla, quae fortasse integri versus spatium continerent, casu excidisse, quibus non solum de exilii poena scriptum, sed decemvirorum nomen, quod nunc desideratum restituere ausi sumus, simul exhibitum esset. Postremo commemorabo coniecturam Bilderdykii Spec. exhib. Theses aliquot selectas, Thes. 86. Lugd. Bat. 1782 ita locum olim scriptum arbitrantis: *populique consensu* PART. IM. *in* CC. FVERE RELATAE, hoc est *populique consensu partes imperii in Consules fuere relatae.* Quae sibi habeant.

§. 25.

quam] Hanc particulam suppleverunt omnes editores (etiam Hal.), licet absit etiam ab aliis Mss. ut Barb. Trevis. Vat. IV. vide Bynkersh. in *Praeterm. h.* BRENKM.

creare] Vulg. *creari.*

viginti] *Qui interdum*, inquit, *fuerunt XX* etc. Non ab initio dicit, quo etiam constat tres tantum fuisse creatos, quamvis patres fecissent potestatem creandi sex promiscue ex patribus et plebe. Sed interdum, non tamen interdum XX. interdum plures, quasi in immensum gliscente numero, quod non est credibile Pomponium scripsisse, verum interdum sex, interdum plures, puta octo, nonnumquam pauciores, puta IIII. vel III. quod ex Diodori XV satis liquet. Claudius in aere fixo Lugduni: QUID IN PLVRIS DISTRIBVTVM CONSVLARE IMPERIVM TRIBVNOSQVE MILITVM CONSVLARI IMPERIO APPELLATOS QUI SENI ET SAEPE OCTONI CREARENTVR. Scriptum erat, VI, et perperam additum, *ginti.* CVIACIVS. Rupertus Anim. II, 11. p. 126: „Omnino legendum: *constituti sunt vario numero. Interdum enim quatuor fuerunt, interdum plures* (nempe sex) *non nunquam pauciores* (nempe tres). Sed Budaeus et Russardus legunt: *interdum enim seni fuerunt.* Quam sententiam Muretus et Corasius sequuntur. Sed istis incumbebat, ut ostenderent, Pomponium contra reliquos historicos omnes secutum esse auctores quosdam, qui aliquando plures fuisse senis statuissent. Obvertunt quidem historiam Livianam, e qua certum esse putant, bello Veientino A. V. 350 creatos *tribunos militares octo.* Scimus enim ex tabulis Capitolinis, *tantum sex* illo anno fuisse... E Diodoro Siculo vix *senos*, nedum *octo* colligere possumus. At in Livianis codicibus hodie admiscentur M. Camillus et M. Posthumius, qui tempore illo non tribuni militum, sed *censores* fuerunt. Quamobrem parum tutum est, e tam ancipiti loco emendare Pomponium. Sed hic quoque nos tenent Govean. lib. 1. var. lect. cap. 23 Steew. ad Veget. lib. 2. cap. 7 qui retinere malunt vulgatam, propter illud Livii lib. 3. *Collina urbem porta intravere sub signis, mediaque urbe agmine in Aventinum pergunt. Ibi coniuncti alteri exercitui XX. tribunis militum negotium dederunt, ut ex suo numero duos crearent, qui summae rerum praeessent.* Hic vero non loquitur Livius de tri-

bunis militum, *consulari potestate* praeditis; sed de tribunis militum *legionariis*. Et demus hoc ipsis, quod tamen falsissimum est, intelligi apud Livium tribunos consulari potestate praeditos; e quo auctore nobis dabunt *plures viginti?* Nam ita loquitur Pomponius: *interdum plures* (sc. fuerunt) *nonnunquam pauciores.*" Contra maluit Niebuhrius Hist. Rom. T. II. p. 140 corruptum illum numerum eo explicare, quod Pomponius tribunos militum consulares cum iis confuderit, qui tribubus olim praefuissent: quam locum expediendi rationem ut omnium maxime probabilem censet Dirksenius Versuche z. Kritik etc. d. Quellen d. Röm. Rechts p. 214, ita Cuiacii coniecturae, licet a multis comprobatae (v. Smallenburg p. 52), fidem eo elevat, quod quum numeri in Mss. siglis exarari non soliti sint, fieri vix potuerit, ut dum numerus *VI* ex *viginti* quidem per librarii errorem nasci potuisset, hic ex illo ortus esset. Quae sane gravissima mihi obiectio esse videtur, qui in Florentino nullum etiamdum locum viderim, quo numeri siglis conscripti essent; nam qui in fragmentorum singulorum inscriptionibus in ed. Gebaueri reperiuntur numeri voluminum siglis expressi, ii citra fidem Flor. brevitatis caussa ab editore illati sunt: qua Dirksenii observatione adducor, ut irritum quemque ex ratione siglarum locum hunc enodandi conatum esse credam. Quid igitur? De errore commisso constat, non item de origine eius: qui quo turpior fuerit, si Pomponio imputari debeat, eo minus in hoc Digestorum contextu Pisano tot vitiis inquinato dubitabimus eum a lapsu aliquo librarii repetere, ipsa eius caussa in medio relicta.

nonnumquam] Invito Flor. Geb. Beck. et Krieg. *nonnunquam.*

§. 26.

coeperunt — Tunc] Omittit M. Vacar.

haberent] Hal. *haberentur.* Vulg. et Vat. I. *aliquos plures patres haberent.* Pal. III. S. Cruc. Magl. Trevis. et Bynkersh. *ut aliquo plures partes haberent.* Vat. III. cum Flor. faciens, supra vocem *pluris* habet adscriptum *i. aliquo maioris honoris.* BRENKM. M. Vacar. et Clossii Cod. 2 *ut aliquid plus haberent patres.* Clossii 1 *aliquo plures;* 3 *aliquos plebs,* postremum ex manifesto librarii errore. Ex Flor. Geb. Beck. Krieg. aliique *aliquo pluris haberent,* quod ferri nequit. Sensus enim non est, ut maiore iam honore patres haberentur, quae

Haloandri et qui eum secutus videtur, Smallenburgii sententia fuit, sed ut, concesso plebi consulatus iure, contra patrum potestas novo magistratu patricio instituendo augeretur. Igitur *plures* scribendum, quum antiquam formam *pluris* Pomponii aevum non ferat. Sed fatendum, *plures* obscurius dictum esse.

duos] Adiici vult *aediles* Cannegieterus Obs. III, 2. p. 233.

§. 27.

avocarentur] M. Vacar. *adv.* et mox *confinitimis*, quae vox incertae auctoritatis est.

redderet] Hal. *dicebat*, quod recepit unus Beckius.

praetor] M. Vacar. *pater*.

quod] Idem *qui*.

§. 28.

deinde] Idem *demum*.

est] Ex Brenkm. affert Gebauerus, in Flor. *est* expunctum videri. Silet Taurellius. Quod sequitur *et*, a M. Vacar. abest.

§. 29.

praeesset] Ita cum Hal., Mureto, firmatum a M. Vacar. scripsi. Vulgatur cum Flor. *praeessent*. Illud nunc etiam Beck. et Kriegel., neque aliter locum citat Zumptius Centumviralg. p. 3.

stlitibus] Ex Flor. vulgo ad hunc ipsum diem receptum *in litibus*. Praepositionem recte iam ab Hal. omissam, etiam Wenckius ad M. Vacar. p. 105, *viri militibus* exhibentem, in suspicionem vocavit, delevitque Beckius, et ubi locum citat, Zumptius l. l. Ea ipsa vero in caussa fortasse fuit, quod genuina scriptura nunc revocata corrumperetur. Nam in usu perdurasse diu vetustam illam scribendi rationem, in huius magistratus nomine ipsa rei vetustate sancitam, testatur, ut alia praeteream, titulus a. u. c. 964 lapidi incisus ap. Grut. p. 407, 1: item alius circa ipsam fere Pomponii aetatem inscriptus, a Wieselero Zeitschr. f. d. Alterth. 1847, p. 300 editus, in quo quod vulgatur ST. LITIBVS, id noli pro vitio habere, scilicet supplendum STILITIBVS, quod exhibet inscriptio in Syllog. p. 479 et quod ipse tum in vitiis referebam; item aevo etiam recentiore inscriptus, in Bull. dell' Inst. archeol. 1840. p. 96, de quo alibi dicendi locus dabitur. Ac *stlitibus* Pomponio restituendum esse iam monuerat Rupertus Anim. II, 15. p. 132, et

ante hunc, ut nunc video, perspexerat Metellus, hac de re omnino consulendus, firmante etiam ibi Taurellio ipso in nota adscripta.

§. 30.

Eodem] M. Vacar. *Constituti sunt eodem*, omisso mox *est*.

Quattuorviri] *Quartumviri* Librarios scribere debuisse, vult Waltherus. Sed vid. Reinold. Varior. c. 11. p. 107. SMALLENBVRG. Beck. et Kriegel. *Quatuorviri*, invito Flor. geminatam litteram ubique, si bene memini, reddente. V. ad Cic. de rep. p. 258.

viarum] M. Vacar. *earum*.

gererent] Taur. in Adnot. *gererent*. *in vel. agerent*. *in Pan. gerent*. *aut itaque agerent putamus aut geREnt*. Hal. *agerent*. GEBAVER. In hac optione data suscepimus id, quod ex ipsa Codicis scriptura mutila prodire probabiliter videtur. Idem censuit Smallenburgius p. 55. V. monita ad *necesse esset* §. 10. M. Vacar. *agerent*.

aeris, argenti, auri-flatores] Muretus suspicatur, Pomponium non recte accepisse notas illas Æ. A. A. F. F., *aeris, argenti, auri flatores*, praestitisse autem pro *flatores* posuisse *flando feriundo*, sc. *Praefecti*, putat . . . Quae tamen mera carpendi coniectura est, quum non male Flatores dixerit Pomponius pro iis qui flandae signandaeque pecuniae praefecti essent etc. LEEWIVS. V. Metellum.

Triumviri capitales] V. ad §. 31.

animadverti] M. Vacar. *animadvertenti*.

§. 31.

in publicum] Vulg. *in publico*. BRENKM. Haec lectio si genuina est, ut opinor, phrasis ex ipsa formula antiqua, qua Quinqueviri constituti sunt, adscita est, quandoquidem a Pomponii aetate illud loquendi genus, nisi ad quasdam formulas maxime iuris civilis ipsa vetustate sancitas aut ad alias inde translatas similes pertinet, alienum est. Cave enim credas, tantam eius aevi fuisse barbariem, ut *in* sine ulla motus ratione promiscue quarto vel quinto casui iungere licuerit. Exempla dabunt quos excitant Marezollius ad Leg. tab. Heracl. p. 20 et Buchholtz. ad Fragm. Vatic. p. 68, ubi ex ipso Pomponio scribitur: *quosdam esse in diversam opinionem*. Iam quod Pomponius *in publicum esse* dixit, idem duobus ferme saeculis ante Cicero non ausus est dicere, quum scriberet II Verr. V, 35, 152: *in publico esse non audet*, quippe qui illo loquendi genere haud aliter quam

in formulis praesertim iuris ex vetustate receptis usus sit, qualis v. c. est *in ditionem esse*, Div. in Caec. 20, 66, ubi pro *essent* pessime Goerenzius ad Acad. II, 4 *issent* coniiciebat. Geminum est ap. Grut. p. 208 IN POSSESSIONEM FVERINT. Cf. Graev. ad h. l., praeterea Hottom. et Passerat. ad Or. pro Quintio 5, 22. Neque alia consuetudo historicorum: v. Walch. Emend. Liv. p. 46. Ac non fugisse Pomponium huius discriminis rationem, ostendunt verba §. 32 *in ditionem venerant*, ubi cum licuisset ei *fuissent* scribere, maluit dictionem usui vulgo recepto accommodare, quo *in ditionem venire* dicebatur.

Quinqueviri] Triumviris capitalibus continuo Pomponius iungit Quinqueviros, caussam bene illustrante Livio XXXIX, 14: *Triumviris capitalibus mandatum est, ut vigilias disponerent per urbem servarentque ne qui nocturni coetus fierent, utque ab incendiis caveretur. Adiutores triumviris quinqueviri dati, uti cis Tiberim suae quisque regionis aedificiis praeessent.* De utroque hoc magistratu non opus explicatius agere, postquam rem post alios nuper docte tractavit Asverus Ueber die legis actio sacramenti p. 32. sq. qui tamen non debebat p. 34 huc trahere Festum v. *spatiatorem*, ut qui locus non ad triumviros capitales, sed ad triumviros *coloniae deducendae* pertineat, de quibus adi Goettlingium Gesch. d. Röm. Staatsverf. §. 129. p. 377, etiam de triumviris illis disputantem. Quem nollem post alios, ut Rupertum Anim. II, 16. p. 138, hos inter et triumviros nocturnos, quorum aliquoties mentio fit, distinxisse: qui quidem ab illis minime diversi fuisse videntur, id quod cum aliis Asverus quoque affirmavit. Quod quum per se maxime probabile est, quoniam triumvirorum nocturnorum ubicunque officia commemorantur a munere capitalium nihilo differunt, tum ex eo ipso Plauti loco, quem Goettlingius affert, Amph. I, 1, 3, comprobatur, quo *tresviri* *), qui non possunt non esse capitales,

*) Primitiva haec nominativi forma, quam solam Plautus novit, ea usus insuper Asin. I, 2, 5. Aul. III, 2, 2, non *triumviri*, ex usu casuum obliquorum demum orta atque in consuetudinem vulgarem recepta, quum praesertim sigla (IIIVIR, vel etiam IIIV), qua scribi solebat, ancipitis explicatus esset. Item statuendum de *duoviri* et *duumviri*. Quid? quod etiam per maiorem insolentiam *duovir* dictum est, ut testantur inscriptiones ap. Romanellium Storia del regno di Napoli T. II. p. 431. Viaggio a Pompei etc. T. I. p. 207. Kunstblatt 1824. No. 96. p. 383.

noctu munus suum obire dicuntur. Addo quod *nocturnos* Paulus simpliciter tresviros appellavit, ita ut antiquo tempore, de quo se agere expresse ait, nihil a capitalibus eos discernat, D. I, 15 init. *Apud vetustiores incendiis arcendis Triumviri praeerant, qui ab eo, quod excubias agebant, nocturni dicti sunt. Interveniebant nonnumquam et Aediles et Tribuni plebis. Erat autem familia publica circa portam et muros disposita; unde si opus esset, evocabatur. Fuerant et privatae familiae, quae incendia vel mercede vel gratia extinguerent,* vel, ut hunc locum et ab Asvero et a Goettlingio neglectum, Graece ex interpretatione Laurentii Lydi de mag. I, 50 proferam, quem auctorem iuvat paullo disertius exscribere: Οὐ γὰρ μόνον τὴν πόλιν ἐξ ἐπιδρομῆς καὶ λανθανούσης ἐφόδου πολεμίων ἀπήμαντον καὶ ἀστασίαστον ἐμφυλίου βλάβης φυλάττουσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀπὸ τῶν ἐμπρησμῶν βλαπτομένοις ἀμύνουσι. Καὶ μάρτυς Παῦλος ὁ νομοθέτης αὐτοῖς ῥήμασι καθ' ἑρμηνείαν οὕτως· „τὸ τριανδρικὸν σύστημα παρὰ τοῖς παλαιοῖς διὰ τοὺς ἐμπρησμοὺς προεβάλοντο· οἳ καὶ νυκτερινοὶ ἐκ τοῦ πράγματος ἐλέγοντο. Συνῆσαν δὲ αὐτοῖς καὶ οἱ ἀγορανόμοι καὶ δήμαρχοι ὑπουργοί· κολλήγιον (ἀντὶ τοῦ, σύστημα), ὅπερ τὰς πύλας *) τῆς πόλεως ᾤκει καὶ τὰ τείχη, ὥστε τῆς χρείας καλούσης εὐχερῶς εὑρισκομένους συντρέχειν.“ Οὕτω μὲν ὁ Παῦλος. Addamus et sequentia: Ὅτι δὲ ἀληθὴς ὁ λόγος ἐστὶ καὶ νῦν τοιούτου τινὸς αἰεὶ **) συμβαίνοντος ἀνὰ τὴν πόλιν, οἱ τυχὸν ἐπικαίρως ἐξ αὐτῶν εὑρισκόμενοι βοῶντες τῇ πατρίῳ Ῥωμαίων φωνῇ· omnes collegiati ***): οἷον εἰπεῖν· πάντες ἑταῖροι συνδράμετε. Iam Paulus, ut ad hunc a Lydo revertar, nihil quidem de cetera eius muneris parte, unde nocturnos a capitalibus eum distinxisse non nemo concludat: sed consulto, quum de officio praefecti vigilum unice agens eam tantum curarum partem commemorandam duceret, quae mutato rerum publicarum statu in pro-

*) In Digestorum igitur, quae exscripsit, codice suo Lydus *portas* reperit, quod vel invito Florentino pro vulg. *portam* restituendum.

**) Ita scripsi lenissima mutatione pro vulg. ἀπει, quod se non intelligere editor princeps adnotat.

***) Cf. Gothofr. ad Cod. Theodos. XIV, 7. Codex *omnis colliciatas*. Ego malim *omnis collegiatos*, qui accusativus exclamationi egregie convenit, positus ad morem Graecorum, σύκους, v. c. proclamantium. Vernaculi sermonis idiomata qui Latinis verbis reddere studeant, iam habebunt, quo illam academicae turbae vociferationem *Bursche 'raus* Latine vertere possint.

vinciam praefecti vigilum cesserat. Denique Sallustius Catil. 55, ubi de rebus per noctem futuram instantibus deque suppliciis per hunc magistratum sumendis sermo est, simplice *triumvirorum* nomine appellat. Tota res ita, nisi fallor, habuit. Triumviris primum ad curam salutemque urbis publicam servandam institutis, quum muneris paullatim aucti gravitas non ferret, ut is magistratus etiam noctu officiis suis vacaret, vel simul etiam quum posthac rebus urbis publicis auctis negotiis triumvirorum numerus non sufficeret, his adiecti sunt adiutorum loco Quinqueviri, non qui ipsi magistratus eodem loco quo triumviri essent, sed ut eorum munere pro iis, ubi res exigeret, diu noctuve, fungerentur, et per omnem quidem urbem, *cis Tiberim et uls Tiberim*, ut Pomponius ait, quem non dubito Livio multo accuratius rem exposuisse, cis Tiberim suae quemque regionis aedificiis praefuisse tradente. Hoc enim si verum esset, omnis regio uls Tiberim triumvirorum curae non diu solum, sed etiam noctu relicta fuisset, quod cum Pomponii testimonio pugnat. Nam tametsi hic infra §. 33 eos *Cistiberes* appellarit, quod Livio favere videatur, tamen quum iidem intelligantur, quos supra *cis Tiberim et uls Tiberim constitutos* dixit, hoc nomen a parte urbis maiore Cistiberina fictum videtur, Liviumque in errorem induxit. Ceterum parte muneris aliqua ad praefectum vigilum translata, ad extrema primi alteriusque saeculi Christiani tempora is magistratus auctoritate et nomine permansit, quod testantur lapides in Seiverti Inscr. ant. p. 87 et Arnethi Beschr. der Statuen etc. im K. K. Münz- und Antikenkabinette p. 32.

uls] Bynkersh. mavult *uls*. Vulgo est *citra, ultra,* aut *cis, ultra*. BRENKM. Ex Flor. ceteri praeter Beckium ad hunc diem *ultis,* quod nihili est. Gell. XII, 13, 7: „Nam tres istae voces *intra, citra, ultra,* quibus certi locorum fines demonstrantur, singularibus apud veteres syllabis appellabantur *in, cis, uls*. Hae deinde particulae quoniam parvo exiguoque sonitu obscurius promebantur, addita est tribus omnibus eadem syllaba: et quod dicebatur *cis Tiberim et uls Tiberim,* dici coeptum est *citra Tiberim et ultra Tiberim*.“ Quod iam cum Beckio rescripsimus, idem etiam Goerenzio ad Cic. Acad. II, 45, 136 scribendum videbatur, item posthac Muellero ad Festum p. 379. Neque dubium esse potest, antiquum magistratus nomen etiam hic Pomponium significare voluisse. M. Vacar. *ultra*.

possent] Hactenus sine offensione vulgatum, etiam a M. Vacar. oblatum, *possint*, quod cum Mureto, cuius notam ne commemorarunt quidem editores novissimi, correximus. V. ad §. 4. Eandem lectionem iam commendaverat Metellus. Miratus sum Beckium, quum supra l. l. *possent* recte revocaret, hic pravum modum retinentem.

fungi] Quae sequuntur §§. 32—34 absunt a M. Vacario.

§. 32.

dicionem] Ita Flor. constanter, ut et *condicio*, si bene memini: de qua scribendi ratione v. ad Cic. de rep. III, 11. p. 268. Codex Neapol. Digestorum a Gauppio vulgatus in eadem p. 38 et *conditio* et *condicio*. Plurimi hic *ditionem*. Hal. *ditiones*.

Sulla] Hal. *Sylla*. De nominis huius orthographia a VV. DD., quos ex parte Henr. Melch. Vockestaert Diss. de L. Cornelio Sulla legislatore, Lugduni B. 1816. p. 13 enumerat, certatim in utramque partem disceptatum est: quae quidem quaestio redit utique ad alteram de nominis origine, in qua illustranda ipsi veteres haudquaquam consenserunt. Ex quibus ante omnia proferendus Charisius p. 62 Lind. (p. 85 Putsch.): *Sibyllam Epicadus de cognominibus ait appellatum, qui ex Sibyllinis libris primo sacra fecit, deinde Syllam: qui quod flavo et compto capillo fuerit, similes Syllae sunt appellati. Inde effeminati hodieque in ludo syllae dicuntur, quos vulgus inprudenter psyllos appellat. Caeterum Psylli sunt in Africa serpentibus medentes, sicut in Italia Marsi.* Hanc nominis originem firmat Macrobius Sat. I, 17, p. 211 Pont. caussam etiam planius exponens, eodemque fortasse teste, Epicado, usus, quem et alibi, I, 11. p. 199 laudavit. Etenim, ubi in origine ludorum Apollinarium explicanda versatur, *bello Punico*, inquit, *hi ludi ex libris Sibyllinis primum sunt instituti suadente Cornelio Rufo decemviro, qui propterea Sybilla* (sic) *cognominatus est; et postea corrupto nomine primus Sylla coepit vocitari.* Ut verissima in his esse videantur, quae de istorum ludorum institutione auctore Cornelio Rufo facta traduntur, tamen alterum illud quod ad cognominis inventi *Sylla*, ex *Sibylla* contracti, rationem spectat, eo minus probari potest, primum quod nulla contrahendi nominis caussa idonea cogitari queat, tum quod quum praesertim antiquam nominis formam, quae non potuit non *Sibulla* (vel *Sibula*) fuisse, respi-

ciamus, inde potius *Sibla* quam *Sylla* factum fuerit. Displicuit ea originis ratio etiam Schneidero Elem. ling. Lat. T. I. p. 48. sq., qui se malle adsentiri dixit Cortio ad Sallust. Cat. 5, 6, *Sulla*, quae genuina scriptura nominis esset, ex *Surula* natum coniicienti, id quod Graevius quoque ad Cic. Ep. ad fam. VIII, 4 statuerat: quae sententia eo probabilior est, quo certius vocem a corporis aliquo habitu repetendam Quintilianus dixit I, 4, 48: „Scrutabitur mille praeceptor acer atque subtilis origines nominum: ut quae ex habitu corporis *Rufos Longosque* fecerunt: (ubi erit aliud secretius, ut *Syllae, Burrhi, Galbae, Planci, Pansae, Scauri*, taliaque) et ex casu nascentium; hinc *Agrippa* etc.“ *). At huic nominis *Sulla* interpretationi per se haud improbabili hoc obest, quod si a *Sura* vel *Surula* ortum est, nullo modo explicari potest, qui factum, ut id in *Sylla* mutari potuerit, quam formam nominis iuxta alteram usu receptam fuisse, negari nequit. Praeterea quae in Charisio, licet non satis aperto verborum sententiaeque nexu, inspersa leguntur *qui quod flavo et compto capillo fuerit*, et quae ad Cornelii habitum corporis spectare ex Macrobio docemur, de alia corporis ratione et de capillorum quidem colore agi luculenter ostendunt: quibus egregie convenit, quod apud Quintilianum in exemplis continuo *Burrhi* nomen subiicitur, quod de colore rufo accipiendum: v. Anal. crit. p. 12. Atque *Rufi* nomen ipsum idem antea posuerat. Quid multa? Cornelius ille ipse, qui primus *Sylla* cognominatus esse fertur, *Rufi*, vel *Rufini*, ut alii scriptores **), cognomine a corporis habitu gaudebat: quae si vera sunt, non possunt non eo ducere, ut huius in locum illud *Syllae*, quippe quod eiusdem quidem potestatis, diversae vero originis esset, aliquacunque de caussa

---

*) Ita locum vexatissimum Spaldingius exhibuit, de restituta lectione ipse dubius. Unum tangam. Pro *taliaque* ipsa optimorum codicum, *aliaque* tenentium, scriptura suadet, ut *et alia quae*, omissa mox copula *et*, quae priore oppressa ab interpolatore adiecta est, reponamus, hunc in modum: *Scauri et alia*): *quae ex casu* etc. ita ut *quae* etc. ut supra *quae ex habitu corporis* posita sint. Possis vero etiam ita: *Scauri): alia, quae ex casu* etc.

**) Haec certe probatior nominis forma videtur, a plurimis tradita. Qui Rufum scripserunt, confundisse hominem existimandi sunt cum *P. Cornelio Rufo*, qui dictator fuit a. u. c. 421: de quo v. Vockestaert l. l. p. 12.

substitutum esse statuamus; unde cognomen in gente Cornelia mansit inditumque denique, postquam alii Cornelii eo insigniti fuerunt, ut Servius Cornelius Sulla, Livio teste L, 45, post Perseum victum legatus in Macedoniam missus, Cornelio Sullae nostro quoque fuit. Atque quod de nominis *Sulla* potestate iam liquet, confirmatur testimonio Plutarchi Syll. 2, hoc ipsum Cornelii Felicis cognomen a rubicundo oris colore ductum affirmantis: ἐξήνθει γὰρ τὸ ἐρύθημα τραχὺ, καὶ σποράδην καταμεμιγμένον τῇ λευκότητι· πρὸς ὃ καὶ τοὔνομα λέγουσι γενέσθαι, τῆς χρόας ἐπίθετον· καὶ τῶν Ἀθήνησι γεφυριστῶν ἐπέσκωψέ τις, εἰς τοῦτο ποιήσας·

συκάμινον ἔσθ' ὁ Σύλλας ἀλφίτῳ πεπασμένον,

ad quem versum recte intelligendum ex re erit meminisse, mori suco veteres fuci loco ad pingendam faciem usos esse: quem morem adnotavit Schneiderus Lex. Gr. v. συκάμινος. Ac de re ipsa, quantum quidem ad corporis habitum Sullae, eo minus dubitari posse, quo certiorem habeamus testem oculatum Epicadum Charisio laudatum, quippe qui Sullae libertus fuerit commentariosque de rebus gestis patroni, quos imperfectos hic reliquerat, post mortem eius absolvisse dicatur, iam olim monui Beitr. z. Littg. T. II. p. 359. De origine autem vocis, cuius potestatem quidem satis iam, ut videtur, illustratam habemus, mihi, fateor, omnino non liquet: nam quae de psyllis Charisius admonet, ea quid commune cum illa nominis significatione habeant non dispicio; neque quum nunc pro *sylli* a Lindemanno ex optimo cod. *syllae* repositum sit, hoc quomodo cum psyllis comparari possit, in comperto habemus. Cuiuscunque vero vox originis fuerit, sive Latinae, sive Graecae, de scriptura ipsa primitiva ambigi non potest, quandoquidem ea aetate, qua in usu eam iam fuisse novimus, Latinos a scribenda Graeca litt. *y* utique abstinuisse constat: quam scriptionem nummi confirmant. Qua vero aetate coeptum fuerit *Sylla* scribi, ignoro, neque ea an Livius iam usus sit, quod censuit Alcheskius ad eius lib. XXX. p. LXXX, pro certa re venditarim.

parricidio] Hal. *paricidio*. In scribenda voce Florentini auctoritatem secutus sum, non quod in comperto habeam, ita an Pomponius scripserit: nam constat ipsos veteres grammaticae doctores et de origine vocis et scriptura fluctuasse, ita ut non adeo mirandum esset, si exemplum Flor. *paricidio* obstulisset,

quod in aliis scriptoribus codices hic illic praestant, per se minime spernendum; sed quod ea scribendi ratio verae vocis etymologiae, ab ipsis veteribus, quippe quorum plurimi patris caedem interpretati sint, probatae unice convenit. Etenim, ut hac de re multis nominibus vexata et nostra aetate denuo turbata breviter quid sentiam dicam, plane iis adstipulor, qui *parricidium* primitus de sola patris caede, tum de parentum cognatorumque quoque usurpatum, ideoque olim *patricidium* (ut *matricidium*), tum *parricidium*, ex quo quum vocis origo et ratio in oblivionem venisset *paricidium* evasisset, dictum esse statuerunt. Nam quod ei derivandi rationi obmovit Osenbrüggen Das altrömische Paricidium p. 11, non posse eiusdem assimilationis, qualem factam oporteat in *patri* in *parri* statuere, aliud exemplum produci neque in lingua Latina neque in Graeca, id non tanti esse videtur, ut hac sola de caussa rem per se maxime probabilem deserere iubeamur: nam ego quidem mihi non sumo constituere, ea linguae Latinae aetate, qua vox nata est, vetustissima quid sermonis indoles tulerit, quidve respuerit, quum praesertim a forma aliqua v. *pater*, quae dudum periierit, originem ducere potuerit, id quod Osenbrueggenius quoque concedendum esse sensit. Non commemorabo, pro *patre* antique *pa* teste Paulo Diacono dictum esse, quae valde probabilis Huschkii est coniectura De Annio Cimbro p. 53, (cf. Bergk. De carm. Saliar. p. IX) quoniam, ut Graecorum πᾶ, ita *pa* pro integrae formae specie haberi nequit: potest tamen ea forma ostendere, varias olim eam vocem vicissitudines subiisse. Atque absurdum ego eum minime appellarem, qui scripturam per unam *r* defensurus, vocem a stirpe *par*, unde *parere* factum, derivare mallet, quandoquidem sine ullo discrimine *pater* et *parens* antiquitus dictum est, testante Tabula Bantina, in qua *parens familias* exstat. Adde *parentem patriae* Caesarem divum dictum esse, quod refert Sueton. c. 85. Quemadmodum enim *vipera* contractum est *vivipara*, ad quam formam Apuleius *viviparus* finxit, quidni aliquam olim statuamus substantivi speciem fuisse, quae simili modo ab illa stirpe formata esset, veluti *pas*, is, vel etiam *parus*, i? In mutata vocis *parricida*, quae primam syllabam longam habet, prosodia non offenderem: neque Osenbrueggenius se offendere dixit, quum v. *paricidium* cum Graecorum παρὰ contenderet. Sed mittamus hariolationes. Illud vero, quod de vocis potestate dixi, ut verum putem, eo potis-

simum adducor, quod non solum rei ipsi, sed testimoniis veterum, quotquot exstant, antiquissimis maxime consentaneum est. Antiquissima autem quum dico testimonia, intelligo ea quae exhibuit Cicero (sciens omitto legem Numae, de qua infra): qui quum parricidium non aliter quam de patris caede intellexerit, absurdus fuisset, si alia atque aequales ipsius soliti essent notione ea voce usus esset. Ac pro Milone c. 7 dixit: *Ni forte magis erit parricida, si qui consularem patrem, quam si quis humilem necarit* (ita Erfurt. pro *necaverit*). Item pro Roscio Am. 25 et 26, ex quo loco praeclaro in primis huc spectant quae expresse de parricida proferuntur *qui eum necasset, unde ipse natus esset.* Adde Tusc. V, 2 Parad. III, 2, quo loco Codd. nonnulli *patricidae*, ex interpolatione. Adde quod in Epistolis sicarios a parricidis distinguit. Orat. pro domo 10, 26 iuxta apponuntur *parricida, fratricida, sororicida.* Atque quae in his orator de parricidis deque supplicio iis constituto persequitur *), a maioribus

*) De poena illa omnia nota sunt. Unum addam quod adhuc non notatum a quoquam reperi, parricidas, teste Placido Glossis in Maii Auct. class. T. III. p. 439, etiam praecipitari solitos esse. Is enim postquam de culleo exposuit, post verba *in quo parricidae cum simia et gallo et serpente inclusi in mare proiiciuntur* subiungit: *Aliter praecipitabantur.* Num ex rupe Tarpeia? Dositheus Interpret. p. 21 Boecking., ubi de cullei poena, inter alia haec habet: καὶ εἰς ἁμάξαν ἐζευγμένην μελανῶν βοῶν κατενεχθῆναι πρὸς θάλασσαν, καὶ εἰς βύθωνα βληθῆναι, ubi leg. εἰς βυθὸν ἀποβληθῆναι. Aetate sua Ulpianus Sentent. recept. V, 25 supplicium illud antiquitus constitutum negat in usu fuisse, sed parricidas vel vivos exuri, vel bestiis obiici tradit. Exurendi morem respexit, quod nescio an a quoquam iam notatum sit, Iuvenalis I, 154:

Quid refert, dictis ignoscat Mucius, an non?
Pone Tigellinum: facta lucebis in illa,
qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant,
et latum media sulcum diducis arena.
Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
pensilibus plumis atque illinc despiciat nos?

Ex lege Pompeia enim *patrui* quoque in parentibus, ad quos *parricidium* pertineret, habiti sunt. Ceterum magnopere falluntur, qui in hoc Iuvenalis loco duplex supplicii genus commemoratum dicant, quod postquam rem accurate Ern. Guil. Weberus exposuit, non notarem, nisi alteram illam explicationem

ait excogitata sapienter et instituta esse (v. Val. Mox. I, 1, 13), ita ut nullum relinquatur dubium, quo modo ea aetate et ante de notione et potestate verbi *parricida* veteres senserint. Illa iam testimonia omnium, ut dixi, antiquissima *) non perspicio quo iure Osenbrueggenius p. 54 neget ullam in constituenda vocis notione primitiva vim habere. Adde non alio sensu Idus Martias *parricidium* a Iul. Caesaris, quem divum *parentem patriae* vocatum novimus, nece eo die perpetrata, ut tradit Suetonius c. 88, nominatum fuisse. Tum difficile non est ad intelligendum qui factum sit, ut a magnitudine criminis, qualis patris caedes putabatur, *parricidium* de quovis facinore nefando translate dictum sit: cuius generis loquendi permulta exstant exempla, a VV. DD., quum translate ea accipienda esse ignorarent, prave saepe intellecta perperamque in aliam vocis potestatem detorta, quale v. c. est, quod Cicero *patriae parricidium* haud semel dixit, vel quod idem II Verr. V, 66: *Facinus est, vinciri civem Romanum: scelus, verberari: prope parricidium, necari: quid dicam in crucem tolli? Verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest.* Suo igitur iure usus, quamvis paullo audacius, idem Catilinam vocavit *civium parricidam* I Catil. 12 et *fraternum parricidium* de caede fratris dixit, eadem prorsus venia qua, ut de trivio quaedam accersam, Graeci βούκολος ἵππων **), item Latini sexcenta eiusdem generis alia dixerunt. Sed nolo plura, neque alios scriptores afferam, qui eadem saepe usi sunt illius

---

ab Heinrichio defensam denuo his ipsis diebus commendari, ac novas nescio quas loci difficultates, quae nullae sunt, moveri a Gliemanno in Iahnii Jahrb. Suppl. XIII. p. 392 viderem. Rem uno verbo expedire licet Senecae de tranquill. animi II dicentis: *ex combusto nihil superfuit, quod carnifex traheret.*

*) Aetatis si unice ratio habeatur, scriptorum, qui ea voce usi essent, omnium antiquissimus est Caelius historiarum scriptor, qui teste Quintiliano I, 6, 42 *parricidatum* dixit.

**) V. Valcken. et Porson. ad Eur. Phoen. 28. Notatis adde Herodotum ἱππεύειν ἐπὶ τῷ καμήλῳ dicentem, ut Odyss. γ, 342, ubi χαλκεὺς de auri fabro. Quo circa ubi bubulcus proprie designandus est, voci βούκολος passim βοῶν adiicitur, ut ap. Xenop. Cyr. 1, 1, 2. Atque nunc in Italia probe dici „Bacco su tigri a cavallo", testatur Dizion. della crusca ed. Cesari (Veronae 1807) T. I. p. 17.

vocis translatione. Iam igitur, illuc, unde profectus sum, ut refertar, Cicero si eum, qui patrem necarit, *parricidam* dixit, proprie locutus existimandus est, scilicet orationem suam ad vulgi usum atque ad loquendi consuetudinem a maioribus acceptam accommodans, quandoquidem ex lege Pompeia, de qua v. Osenbrüggen p. 48, patet ipsius iam aetate eodem nomine pariter significatos esse, qui caedem in cognatis commisissent. Quam notionis primitivae amplificationem, ex ipsa re ductam eo minus mirabimur, quo certius constat, progrediente tempore moribusque mutatis in re iudiciali significationem *parricidae* etiam maiores mutationes perpessam esse. Nam ut Ulpianus l. l. et Marcianus D. XLVIII, 9, init. in gradibus cognationis, qui in lege Pompeia comprehensi fuissent, magnopere differunt, ut adeo hic multo plures enumeret, qui in parricidarum loco habiti essent: ita rursus Modestinus D. l. l. fragm. 11, ubi de eadem lege verba facit, *qui alias*, inquit, *personas occiderint, praeter matrem et patrem, avum et aviam, quos more maiorum puniri supra diximus, capitis poena plectentur, aut ultimo supplicio mactentur;* videlicet principio dixerat: *Poena parricidii more maiorum haec instituta est, ut parricida virgis sanguineis verberatus, deinde culleo insuatur cum cane* etc. Ex quibus colligitur, ante legem latam Pompeium etiam pauciores personas eo nomine appellatas esse, videlicet *patrem, matrem, avum* et *aviam,* sed tales semper, quae *parentis* notioni recte subiici potuissent. Num vero id secundum legem Corneliam de sicariis, qua etiam parricidarum rationem habitam esse, ex ipso Pomponio docemur? Ut hoc sit, quamquam id pro certo haberi nequeat: nihil, ut vidimus, a primitiva vocis significatione disceditur. Ceterum quum Ciceronem antiquissimum omnium, qui de potestate v. *parricidium* diserte tradidissent, testem appellavi, minime Numae legis notissimae apud Paulum Diaconum v. *Parrici(dii) quaestores* *) oblitus sum. Immo consulto omisi, quoniam dudum intellectum est, verba legis *parricidas esto* non alio sensu quam *capital esto* (h. e. eodem supplicio, quo parricida, plectator) accipienda esse, quod primus, si bene memini, Scaliger ostendit: vel quo in legum formulis Cicero, hanc ipsam Numae legem probabiliter imitatus, scripsit de legg. II, 9: *sacrum sacrove commendatum qui cleperit*

*) *Si qui hominem liberum dolo sciens morti duit, parricidas esto.*

rapsitque parricida esto: quo fit ut de ipsa vocis potestate singulari certi nihil omnino hoc ex loco lucremur. Nam si quidem verborum illorum is sensus est quem dixi, apparet, quae legi isti Paulus praemisit quaeque ex ea conclusa dicuntur *), nulla fide omnino digna esse, quippe quae cum ipsius legis sententia nihil habeant commune. Igitur nisi aliunde quis verborum vim, quam exposuit Paulus, stabilire sustineat, omittamus hunc grammatici locum ab hac quaestione plane alienum, de erroris origine eo securiores, quo minor auctoritas Festi epitomatori habenda est.

Si igitur standum est in nominis *parricidium* notione ea, quae a patre sive a parente profecta est, simul de origine vocis non aliunde repetendae res erit confecta: quam sententiam nuper retraetarunt atque explosa Osenbrueggenii argumentatione ita firmarunt, ut lis diu a VV. DD. disceptata nunc tandem iudicata videatur, eodem anno Reinius Ephem. litt. Ien. 1844. No. 130 et Rubino Zeitschr. f. d. Alterth. 1844. p. 333. sq. coll. Iahnii Jahrb. Vol. VL. p. 299. Nam quod nonnulli, a vocabulo *patris* haud iusto modo *parricidium* derivari posse rati excogitarunt, ut quoniam vocis notionem simul cognatos sive parentes comprehendere posse scirent, potius a v. *parentes* duceretur, ita ut ex parentum caede *parenticida* et formatum et inde per contractionem *paricida*, una littera *r* scriptum, natum esset, id quum propter ipsam contractionis insolentiam, ut iam alii censuerunt, tum eam ob caussam concedi nequit, quod si primitus cum patre etiam ceteri omnes quicunque parentum loco habiti essent, una comprehensi fuissent, poena illa, quae parricidae lege praestituta est, pro criminis ratione iusto gravior et iniquior apparere debuit. Neque denique ullo modo probanda est derivandi ratio, postremo a Theod. Mommsenio proposita Zeitschr. f. d. Alterth. 1845. p. 320, secundum quam *paricidium* a Sanscrito *para* „alius" significante descenderit: ut enim huius vocis alia in sermone Latino vestigia indubia adhuc produci non potuerunt, ita cum re ipsa vocis significatio discordaret, quum *paricidium* tum alterius caedes esset nihilque ab homicidio differret.

de sicariis] Gothofr. in nota: Quidam addunt *et de iniuriis*. Illi *quidam* sunt Hal. et qui eum sunt secuti. Probat hoc addi-

---

*) *Parricida non utique is, qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcunque hominem indemnatum.*

tamentum Petr. Pithoeus, improbant Io. Franc. Ramos in *Error. Tribon. de poena Parric. lib.* IV. p. 110 et van de Water *Obs.* lib. I. c. 16. GEBAVER. Illud ipsum *reluti* ostendit, non omnia earum quaestionum argumenta enumerare, neque ea ad singula quaeque capita, qualia Sulla constituisset, distinguere Pomponium voluisse: quo ex parte tolluntur quae Pomponio obiectant Dirksenius Versuche z. Kritik etc. der Quellen d. Röm. Rechts p. 215 et Reinius Criminalrecht d. Röm. p. 455. Cf. Osenbrüggen Das altrömische Parricidium p. 47. Henr. Melch. Vockestaerti Diss. de L. Cornelio Sulla legislatore, Lugd. Bat. 1816. p. 120 et 133. Henr. Ant. Corn. Chais van Buren Diss. de Cn. Pompeio Magno et de legibus ab eo latis, Lugd. Bat. 1823. p. 115. Ex nostratibus consulendi sunt Zachariae, Wittichius, Ramshornius, qui de Sulla nuper scripserunt.

quattuor] Immo *duos*, si alios audiamus. V. Vockestaert l. l. p. 120.

Gaius] Kriegel. et Beck. *Caius.* V. ad §. 7.

et a Cerere] Omittit *et* Hal. quem secutus est Beckius. Muretus: „Fortasse deest verbum, *dicerentur.*“ Non vana haec viri sagacissimi, quem haud commodo operis sui Gebauerus paene neglexisse videtur, suspicio fuit. Nihil tamen mutaverim. De re adi Schubert De aedil. Rom. p. 199 et Goettling. Röm. Staatsv. p. 496.

duodecim] Rupertus vult *decem.* V. Smallenburg. p. 57.

Augustus sedecim praetores constituit] Immo I. Caesar, si maior fides penes Dionem Cass. XLIII, 49. V. Goettling. l. l.

Post deinde] Hac phrasi Pomponio familiari etiam multo probatiores scriptores usi sunt, veluti Terentius Andr. III, 2; 3. Plinius ex emendatione mea, Iano probata ap. Silligium T. V. p. 416. Vopiscus vit. Probi fin. Alia exempla dabit Pareus Lex crit. h. v. p. 955.

fideicommisso] Vulg. *fideicommissis*, quod probavit Beckius.

adiecit] Vulg. inserit *unum.* BRENKM.

§. 33.

quotiens] Alii, ut Beck. et Krieg., *quoties.* V. ad Cic. de rep. III, 10. p. 266.

urbi] Vulg. *urbis.*

qui praefectus] Muretus scribi vult *qui profectis*, quod arrisit Koehlero Interpr. et emend. II, 6. p. 32. *Praefectis* Bynkersh.

fere] Vulg. *vero.*

Nam] Hal. *sane*, quod exhibuit Beckius.

vigilum] Hal. inserit *quanquam*, omisso mox *et* ante *tamen.*

et tamen etc.] Haec Bynkersh. in *Praeterm. h.* ita restituit, *et tamen hi et quos Cistiberes diximus, postea, ut aediles SCto creabantur.* BRFNKM. Fugit virum doctissimum id quod iam Muretus admonuerat, munus illorum Quinquevirorum cis et uls Tiberim postea a senatu mandatum esse aedilibus. Ut planior locus fieret, malebat Smallenburgius p. 60 scribi *attamen* pro *et tamen.*

Cistiberes] Beckius de sua, ut opinor, coniectura *cis Tiberim.* Alterum huius nominis exemplum, quo Lexica Latina augeri possunt, suppeditat lapis sepulchralis olim Romae servatus Graecus ap. Grut. p. 912 et Murat. Thes. inscr. p. 1680, 11, unde transcripsit Welckerus Spicil. epigr. I. p. 9: Ἔνθαδε Γαιῶνας, ὃς κίστιβερ ἦν ποτε Ῥώμης . . . κεῖμαι, in quibus quod cistiferum significari hominem Welckerus existimavit, eo refutatur, quod de cistiferi Romani officio aliquo, ipso fatente Welckero, nihil omnino constat; adde quod ut cistiferum efficiamus, opus sit ut, quicunque hunc titulum inscripsit, β et φ commutasse eum ponamus, qua machina carere possumus. Praeterea uno adhuc loco Martialis vox *cistifer* reperta est, et ipsa perdubia, V, 17, 3:

dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo
nubere, nupsisti, Gellia, cistifero.

Ita etiam novissimus editor, quem fugit iam Goerenzium ad Cic. Acad. II, 44. p. 246 ex codd. reponendum *cistibero* suasisse, id quod multis codd. a Schneidewino ipso adhibitis confirmatur. Qua de re, quam illo ipso epigrammate simul adhibito iam olim tetigi in Iahnii Jahrb. 1829. Vol. XI. p. 182, nunc ita statuo, utrum Martialis scripserit, in medio relinquendum esse, magis vero placere *cistibero*, quoniam de eiusmodi munere quidem constat, non item de altero, ita ut ipsa vox *cistifer* in dubiis referenda sit. Quod apud Martialem ad normam declinationis secundae flectitur, eo tanto minus laboro, quo lenior sit emendandi ratio apud Pomponium scribendo *Cistiberos*, a *Cistiber* nominativo, uti reapse Pomponium scripsisse arbitror. Sive vero secundae sive tertiae declinationis fuisse vocem dixeris, Latina terminatione Graeco epigrammatis laudati auctori eodem iure uti

licuit, quo Graeci dixerunt v. c. Ποῦλχερ (v. Welcker l. l. p. 13), vel Κίμβερ, quod in tituli me legere memini, vel Νεῖγερ in titulo ap. Le Bas Inscriptions Grecques et Lat. fasc. V. p. 181.

§. 34.

Ergo ex his etc.] Hoc Pomponii loco et quidem ex Digestis, ut probabile est, sumpto usus est, quod fugisse videtur Zimmernium T. I. p. 341, Laurentius Lydus de mag. Rom. I, 48: ... μὲν πάντων· δέκα μὲν δήμαρχοι, δύο δὲ ὕπατοι, καὶ ὀκτὼ πραίτωρες, καὶ ἓξ ἀγορανόμοι ἐπὶ τῆς πόλεως ἀπέμειναν καὶ μόνοι. Ταῦτα ὁ Πομπώνιος, ὡς ἔοικε, τὸ πλῆθος καὶ ποικίλον τῆς ἱστορίας διαφυγών, ubi initio oratio foliis duobus codicis resectis mutila hunc in modum probabiliter restituitur: Ἐκ τούτων μὲν πάντων δέκα μὲν δήμαρχοι etc. Praeterea notandum pro ὀκτὼ scribendum esse ὀκτωκαίδεκα.

§. 35.

Sed qui — Et quidem] Omittuntur a M. Vacario.

qui] Ex omnibus libris cum Flor. *eorum* quod additur, cum Beckio delevi. Vide paullo post adnotanda.

dignationis] Vulg. *dignitatis*.

eorum] Vox *eorum* Flor. adscripta in margine, ut adeo asteriscis, non parenthesi includi debuisset a Taurellio. BRENKM. Hal. prius *eorum* omisit, et videtur sane perquam verisimile, hoc ipsum prius *eorum* ex librarii inepta posterioris anticipatione esse enatum. GEBAVER. Praeposuerunt Kriegelii asteriscum: nos deleto priore *eorum*, quod semel scriptum librarius delere oblitus est, quum posterius margini adiiceret, hoc parentheseos signis sublatis in suum locum restituimus.

in praesentia] Vulg. *in praesenti*. De phrasi recepta v. Smallenburg ad h. l. et quae ipse notavi Zeitschr. f. d. Alterth. 1839. No. 58. p. 461. Eadem scripturae varietas apud Auct. ad Herenn. II, 11, 16, collato Baitero Varr. lect. cod. ad Auct. ad Her. Turici 1844, Part. I. p. 13: quo loco vulgatur *in praesenti*; quod vero plurimi libri exhibent *in praesentiarum*, id non ante commendare ausim, quam ea formula, de qua dixi l. l., antiquiores usos esse, idoneo exemplo demonstratum sit. Nam in Cic. de inv. I, 30, 40, ubi v. Lindemannum, ea ex uno tantum codice allata est. Cf. Dronkii Adn. cr. in Taciti Agr.

Fuldae 1842. p. 10. *Respondebo, sed non in praesentiarum* in exemplis nescio unde laudat Victorinus ad Cic. de inv. I. p. 30 ex cod. Basil. ab Orellio auctus.

sunt] Beck. *sint*, rectius fortasse.

nancti] Ita ex Flor. Gebauer. Reliqui *nacti*, ut M. Vacar. quoque. De forma restituta v. ad Cic. de rep. I, 10. p. 43 Schneid. ad Caes. de bell. Gall. IV, 36. p. 417. Zeitschr. f. d. Alterth. 1843. p. 75. Eandem Codex Vindob. Ulpiani fragmentorum ab Endlichero primum vulgatorum p. 85 ed. Boecking. tuetur; eandemque in Macrobio Comm. in Somn. I, 6. p. 32 Zeun. exhibet, qui hunc locum citat, Anon. in Boethium in Maii Auct. cl. T. III. p. 335: cui scriptori, si codices addicerent, istam formam vindicare non cunctarer; respuit tamen Ianus.

Tiberium Coruncanium] Hal. *Tyberium Coruncanum*, ut etiam §. 38. M. Vac. omittit *Coruncanium*. De hoc auctorum iuris duce v. Zimmern p. 249 et 268.

autem] Abest a M. Vac.

ad hunc] Hal. *adhuc* et reperi in Collationibus Brenkm. Barb. S. Cruc. Trevis. ita habere. GEBAVER. M. Vacar. per compendium, ut nescias utrum *adhunc*, an *adhuc* scripserit. Pro *ad hunc vel in latenti* Muretus *ad hunc vel illum attenti*, quae coniectura tanto viro indigna est. Haud melior eiusdem suspicio de verbo mox seq. *vacare*, quod vitiosum ortumque ex *vacat*, quod margini ad defectum quendam significandum adscriptum fuisset, censet.

consultatoribus] Vulg. *consultoribus*, vel *consultationibus*. BRENKM.

vacare] Ap. Hal. *vacare* deest, omisitque Beckius. Bynkersh. malebat *vacabant*.

discere volentibus se] M. Vacar. *dicere se volentibus*.

§. 36.

Publius] Hal. *Sextus*. V. ad §. 2. Expungi iubet Muretus, assentiente Ruperto Anim. III, 2. p. 153, qui natum ex seq. littera initiali nominis Papirii putat. Heineccius Elem. iur. civ. sec. ordinem Pandectar. I, 2. §. 31 *Publius* corruptum arbitratur ex *publ. iur.*, id est *publici iuris*.

regias] M. Vacar. *ũas*, quod Wenckius recte interpretatus est *veras*.

Ab hoc] M. Vacar. *ad hunc.* Idem mox *conscribendis.*

Appius Claudius] V. Zimmern p. 99.

Centimanus] Hal. *caecus*, loco *centemmanus*, habet in textu, at in margine *alias centemmanus*, *alias centimanus*, *sed parum recte.* GEBAVER. Contra Muretus: „Liber Vaticanus Centimanus. At apud Ciceronem de Off. III, 16 Centumalus cognomen gentis Claudiae legitur; nisi forte illic quoque *Centimanus* legendum est: quod et puto, propter auctoritatem libri Vaticani. Videri potest cognomen initio tributum industrio alicui et diligenter expedienti multa negotia, ut quasi centum manus habere videretur, ut ille Poeticus Aegeon ἑκατόγχειρ. Male putat Balduinus scribendum potius Caecus. Neque enim ita vocatus est suo cognomine: sed cum in senectute oculorum usum amisisset.“ Vera quidem quae postremo monentur, sed non tanti momenti, quin a scriptore, qualis Pomponius est, ad distinguendos alios cognomines viros cognomen illud recte adhibere potuerit: quemadmodum id etiam alii commemorarunt, veluti Dionysius Hal. Epitom. XVI, 6. p. 54. ed. Francof. καὶ Καῖκος προσηγορεύθη. V. Ruperti Anim. III, 2. p. 155. De huius Appii caecitate v. praeter ea, quae attulit Gernh. ad Cic. sen. 6, Val. Max. VIII, 13, 5 et Ulpianum III D. 1, 5. Ovid. Fast. VI, 204. Ac lubenter Pomponio *Caecum* cum Ruperto aliisque quos enarrat Smallenburg. p. 62, restituerem, si aliquantillum codicum scriptura firmaretur. Haec vero ita habet, ut quum aperte vitiosa sit, aut ex Vatic. *Centimanus*, quicum facit M. Vacar., aut *Centimalus* utique reponendum videatur. Mallem posterius, si id quod in gente Fulviorum cognomen frequens esse et Fasti testantur a. 455. 524. 542 et nummi gentis Fulviae, etiam in Claudiorum receptum esse posset demonstrari. Nam Ciceronis l. l., quo quidem Orellius, ne monito quidem lectore de scripturae discrepantia, *Centumalum* vulgavit, libri scripti fluctuant inter *Centummalum* et *Centummanum*: neque crediderim, Valerium Maximum VIII, 2, 1, qui Ciceronis locum plane exscribens, *Claudium Centumalum* exhibet, tuto ante adhiberi posse, quam loci scriptura ad codicum fidem diligentius, quam id adhuc factum, exacta fuerit. Neque denique audiendi ii, qui, ut Cannegieterus Obs. iur. Rom. III, 2. p. 234, Pomponium erroris coarguunt, vel totum hunc locum in emblematis Tribonianis referre malunt, ut van Vaassen Animadv. crit. ad fast. Rom. sacros p. 164. Itaque

cum Beckio suscepi interim libri Vatic. lectionem ad ceterorum scripturam proxime accedentem. Ceterum comparandum nomen repositum cum v. *aequimanus* vel *Decimanus* (v. Maium ad Fronton. p. 222 ed. Rom.) Geb. et Krieg. *Centemmanus*, cum Flor. De hoc Appio v. Zimmern p. 266.

Appiam] M. Vacar. *et Apiam.*

aquam Claudiam] Inverso ordine idem.

urbe] Hal. *urbem.*

primum — exstat] Omittuntur a M. Vacar. Ceterum hunc locum ita restitui iubet Cannegieterus l. l. assentiente fere Bachio Hist. iur. II, 2, 4, 16. not. ut post *primum* interpungatur, idque cum praecedentibus iungatur; tum ut post *usurpationibus* inculcetur *quoque:* quae sibi habeant.

Idem] Vulg. *inde.* Hommelius Obs. iur. civ. spec. I. Obs. 3. in ei. Opusc. ed. Roessigii Part. I. p. 70 scriptum olim putat *exstaT Idem*, unde efficit *exstat. Itidem.*

Claudius etc.] Hal. *Claudius usu, qui videtur ad hoc proc.* Muretus: „Locum corruptum esse liquido constat: nam si de eodem Appio loquitur, quid est cur dicat, *Qui videtur ab hoc processisse;* sin de alio, quomodo eundem vocat? Sunt qui pro *idem* legant *item:* sunt qui addant vocem *usu*, quae si est in vetustis libris (nam in eis, quos ego vidi, non est; sed si in aliis est) ita fortassis legendum fuerit: *Idem Ap. Claudius usum R. litterae invenit: videturque ab hoc processisse, ut pro Valesiis Valerii essent, et pro Fusiis Furii.*“ Aliorum tentamina loci enumerat Bynkersh. Praeterm. ad Pompon. p. 59, quicum conf. Ottonem Thes. iuris T. I. Praef. p. 23 et Smallenburg. p. 62. Qui locus quum olim, si quis unus, in conclamatis habitus esset, eo nihil desiderari, quo ad sententiam integram opus videretur, intelligi tandem coeptum est, ex quo perspectum est, sermonem continuari de Appio Claudio Caeco, quod recte post Cuiacium (ceteroquin *quoniam* pro *qui* reponi iubentem) vidit Bachius Hist. iurispr. Rom. II, 2, 4, 16, verbaque *ab hoc* ad Appium Claudium decemvirum referenda esse, quod scite monuit Seyfertus Gramm. Lat. §. 127, frustra obloquente C. L. Schneidero Gramm. Lat. T. I. p. 341: cuius decemviri mentio a Pomponio remotiore loco facta si cui videatur, quam ut *ab hoc* eo referri recte possit, respondendum, quum alia nulla persona in praecedentibus commemoretur quam decemviri illius, excusari obscurius dictum *ab*

hoc eo, quod ad aliam referri nequeat, attentusque lector non possit non perspicere, quae scriptoris mens sit. Adde quod Pomponius, monente recte Schneidero De Servio Sulpicio Spec. I, p. 20, *hic* ad eum, de quo principaliter loquitur, referre solet, quod simillimo loco §. 47 fecit: *Huic successit Gaius Cassius Longinus . . . et ideo proavum suum Servium Sulpicium appellat. Hic consul fuit*, ubi *hic* non pertinet ad Servium, qui ultimo loco appellatus est, sed ad eum, de quo principalis sermo est, Longinum. Neque aliter sensit Lepsius De tab. Eugub. p. 87, ubi hoc de loco verba facit.

R litteram etc.] Ergo ante hunc nec Roma, nec Romulus, nec populus Romanus dicebantur, quae nemo unquam putavit. At si dicas, hunc primum Valerios et Furios dixisse, minus ineptum sit. Apud Ciceronem [Ep. ad fam. IX, 21] invenio L. Papisium L. F. M. N. primum Papirium vocatum. Praetor is fuit et Dictator anno Vrbis 413; quadriennio post Consul, Censor anno 435. At Appius Censor fuit anno 441, Consul quinquennio post. Haec habet Ant. Augustin. *de Nom. propr. Pand. col.* 207. *not.* 6; confer eundem *col.* 343. *not. c.* GEBAVER. Omnibus huius rei, de qua praeter Ottonem consulendi Schneiderus, Lepsius ll. cc. et qui excitantur a Smallenburgio p. 63, momentis accurate expensis, statuendum videtur, Pomponium Appio Claudio inventae a se litterae R gloriam tribuere minime voluisse, quod si voluisset, ab afferendis Valesiorum, Fusiorum exemplis abstinere, aut certe una aliis cum verbis eiusdem generis ea afferre debuisset: immo hanc esse scriptoris mentem, ut Appium Claudium primum fuisse dicat, qui vulgarem loquendi consuetudinem nominum Valesiorum et Fusiorum (etiam, quod probabiliter coniicias, similium, veluti Papisiorum, Auseliorum, v. Cic. l. l. et Fest. v. *Aureliam*) immutaret, et tum quidem, ut puto, censoriam quum auctoritatem haberet. Confitendum vero Pomponium, hanc sententiam si quidem scripturus erat (nam aliam non poterat, nisi insiperet), eam dextre verbis scriptam minime exhibuisse. Summa vero sententiae a Pomponio propositae quam maxime ad veritatem accedere videtur, quandoquidem saeculo post Appium Claudium VALERIVS iam scriptum reperitur in SC. de Bacch.; quod eo non reprobatur, quod in titulo recentiore quidem aetate inscripto, sed vetustatis speciem affectante VALESIVS exstat, ap. Borghesium Nuovi frammenti di fasti consolari p. 46. Atque etiam formae nominis

Fusius exempla quaedam inscriptiones servarunt, laudatae Heusingero ad Cic. Off. II, 14, 9. Ceterum haec litterarum permutatio non potest non ab utriusque soni cognatione repeti, quum praesertim Lepsius de tab. Eugub. p. 48 ostenderit, litteram R sono inter R et S medio ab Oscis pronuntiatam esse. Itaque nomen proprium *Hirsutus* in titulo in Bull. dell' Inst. archeol. 1833. p. 64 scribitur HIRRVTVS. Subnotare denique iuvat, ut illa Pomponii observatio non omnino omnem litterae *r* usum spectare potuit, quod absurdum fuisset, ita ad illam nominum propriorum classem etiam appellativa nonnulla accedere, quae eandem sortem experta essent, veluti *arbosem* et *robosem* pro *arborem* et *roborem* teste Festo, vel *asa* pro *ara*, quod advertit Scaurus de orthogr. p. 2252, 16. Cf. Sarpii Anal. ad Quintil. p. 35 et Forcellinium; ut enim nemo umquam *asbiter* vel adeo *asbites* pro *arbiter* dixit, quoniam est ab *ar* antiquitus pro *ad* dicto et verbo *betere* *), ita haud magis quisquam scripserit *sobosem* vel *asbosem*. Addamus denique locum Varronis de L. L. VII, 26 classicum, qualem ex Cod. Flor. descriptum exhibuit Corssen Orig. poes. Rom. p. 55 repetiitque nuper Bergkius De carm. Saliar. p. III: „In multis verbis in quod antiqui dicebant S

*) Scalig. ad Sallust. Catil. 20. Heusing. Emendat. p. 389. Doederl. Synon. T. I. p. 162. De alia futili derivandi ratione disputavit Hillebrandius Glossar. Lat. fragm. p. 16. Classicus est de vetusta illa praepositionis *ad* forma apud Priscianum I, 8. p. 559 (T. I. p. 43 Krehl) locus: „Antiquissimi vero pro *ad* frequentissime *ar* ponebant, *arvenas, arventores, arvocatos, arfines, arvolare, arfari* dicentes pro *advenas, adventores, advocatos, adfines, advolare, adfari*. Unde ostenditur, recte *arcesso* dici ab *arcio* verbo, quod nunc *accio* dicimus, quod est ex *ad* et *cio* compositum.“ Placidus Glossis in Maii Auct. cl. T. III. p. 435: *Arveniet*, adveniet.“ Cf. Seebodii Misc. crit. II, 3. p. 435. Lagomarsin. in Iahnii Jahrb. f. Phil. Suppl. III, 2. p. 317. Rost Opusc. T. I. p. 204. Quae observatio grammaticorum SC. de Bacch., ubi ARVORSVM exstat, confirmatur; sed non tacendum iuxta in eodem monumento etiam *ad* reperiri. Quam late hic usus patuerit, quibusve finibus circumscriptus fuerit, difficile est ad indagandum. Unum tamen afferam notatu dignum, omnibus quotquot adhuc innotuerunt eius consuetudinis exemplis indubiis *ar* non reperiri nisi ante litt. cognatas *v*, *f*, et *b*, ita ut audacius agere videantur, qui XII Tab. cum Lipsio *arduitor* pro *adduitor* vindicent.

postea dicunt R, ut in carmine Saliorum sunt haec . . . fedesum. federum. plusima. plurima *). meliosem. meliorem. asenam. arenam. ianitos. ianitor." Exemplis a Varrone collatis v. *nesvus* pro *nervus* fortasse ex XII Tab. fragmentis addituro respondendum, minime certa fide eam formam niti, ut ostendit Dietrichius Commentat. grammat. p. 12.

ut pro Valesiis etc.] Vulg. *ut pro Valesiis Valerii essent et pro Fusiis Furii.* In archetypo olim fuit *ut pro Valerii essent et pro Fusiis Furiis.* Correctio est a recentiori manu. BRENKM. Ut Vulg., ita Hal. quoque, et M. Vacar. (nisi quod hic *essent* omittit), cum Tortellio de orthogr. v. *S:* quod vel invitis Geb. et Kriegel. ut reciperetur necesse fuit, recepitque Beckius, insuper firmatum aliis eiusdem usus dicendi exemplis, veluti ap. Quintil. I, 4, 13: „nam ut *Valesii Fusii* [ita ex Codd. scribendum] in *Valerios Furiosque* venerunt." Extremam vocem *venerunt* una cum copula *que* vitiosam existimo.

§. 37.

σοφὸν] M. Vacar. *prius n,* ubi Wenckius p. 107: „Nota, quae hic legitur, accedit ad similitudinem lit. *n.* Orta sunt haec *prius n* e Gr. vocabulo, quod non intellexisse videtur Vacarius." At haec ad *prius* vix pertinere possunt, nisi ista ille quum non intelligeret, de se ipse aliquid finxisse putandus est.

aut post hunc] Haec verba ap. Hal. et alios desunt, forte ob Atilium sapientem, cuius mentio infra §. 38. verum, quia Atilius ibi primus ita appellatus traditur: potius illa *ante hunc aut* delenda fuerant. Ceterum quamvis reipsa idem velit utrumque, aliter tamen sonat *Sophus,* aliter *Sapiens.* BRENKM. Cf. Val. Guil. Forsterum *de Iur. Interpr.* c. 28. Sc. Gentilem *in Parerg. c.* 21. Iac. Curtium εἰκαστ. *lib.* I. *c.* 28. GEBAVER. Recte: neque aliter Cuiacius. Nam praeter Sempronium alius Romanus σοφὸς nullus umquam appellatus fuit: Sapientes nonnulli, veluti Atilius (v. §. 38) et Laelius, quos Cic. Lael. 2 commemorat. Quod enim contra Muretus ad Pomponium erroris coarguendum admonet, Sophi cognomen inde aliquandiu in gente Sempronia permansisse, id non video qua auctoritate quove testimonio probetur. Praeterea vide ne, quae coniectura mea est,

*) Notandum in titulo Scipionis Barbati iam PLOIRVME exstare.

cognomen illud Sempronius, de quo adi Zimmern p. 267, a rara tunc peritia aliqua litterarum Graecarum acceperit.

Gaius] Hal. praemittit *Sed et.* Mihi quoque, quo modo Pomponius ab uno ad alterum transire soleat consideranti, ante *Gaius* excidisse aliquid, veluti *deinde*, videtur: si vero ita, ut nunc vulgatur, Pomponius scripsit, repeti mente ex praecedentibus voluit *fuit maximae scientiae.* Ceterum Beck. et Kriegel. *Caius*, ut supra. Mureto autem notante, Scipio noster ab aliis *Publius* appellatur, veluti ab Auctore or. de harusp. resp. 13: *qui est optimus populi Romani iudicatus, P. Scipio*, et Vellei. Pat. II, 3: qua de discrepantia iudicium meum suspendo. Ruperto videbatur ex *Cornelius* compendiose scripto evasisse *C.* Praeterea etiam hoc notandum, quod Balduinum censuisse Muretus refert, eo tempore, quo legatio mox commemorata locum habuisset, Nasicam vixdum natum fuisse: quod tam grave mihi olim visum, ut aliquando suspicarer, ne totum caput, quo de Nasica agit, insititium esset. Ceterum de Nasica v. Zimmern p. 273 et Smallenburg.

qui] Muretus malebat *qui vir*, mente fortasse recordatus illorum quae exstant ap. Vell. l. l.: de Nasica: *qui optimus vir a senatu iudicatus erat.*

publice] Hal. *publica.* Nihil mutandum esse ostendit Smallenburg. p. 63.

Quintus Mucius] Rupertus substituit τῷ *Mucius* τὸ *Maximus*, probante Bynkersh. BRENKM. Taurell. in Adnot. *Quintus Mucius. sic in Pan et in vet.* Hal. *Quintus Fabius.* GEBAVER. Etenim uno consensu ceteri scriptores, quorum locos apposuit Muretus, non Q. Mucium, sed Q. Fabium legatum tradunt: quam nominum confusionem cum Alciato Parerg. IV, 17 Pomponii errori malo tribuere quam librariorum, id quod praeter Hal. etiam alii, ut Zasius, statuerunt. Beckius reposuit *Fabius.*

Carthaginienses] Ita Flor, ut etiam mox. Alii *Carthaginenses.* Illud etiam Cic. de rep. II, 28.

tesserae] M. Vac. mendose *cesseres*, omisso seq. *positae.*

dato] Cod. III M. Vacarii *donato.*

referret] Vulg. *referre.*

§. 38.

Post hos etc.] Immo vero et ante Nasicam, et amplius sexaginta annis ante eam, de qua modo diximus, legationem. MVRETVS.

Defendit Pomponium Rupertus Anim. III, 4. p. 166. Verba *post hos — eius fuerunt* omittit M. Vacar.

ut dixi, qui] Beckius *qui, ut dixi.*

sed] Hal. *licet* et mox *fuerint.* GEB.

fuerunt] Quidam veteres libri habent *ferunt,* unde coniicio legendum *feruntur:* hoc enim significat, non extare scripta, sed extare responsa et circumferri. MVRETVS. Haud male. Cicero Lael. 2, de Catone: *Multa eius et in senatu, et in foro, vel provisa prudenter, vel acta constanter, vel responsa acute ferebantur.*

complura] Hal. *compluria.*

Deinde] M. Vacar. *demum.*

Sextus Aelius] Flor. est *Sextus Caelius,* et fortiori, ut opinor, elocutione. In Mss. Bynkersh. et Campensi est *Sextus Caecilius.* V. Bynkersh. *in Praeterm. h.* BRENKM. Eodem vitio idem ab Ulpiano *Sextus Caecilius* appellatur, bene demonstrante Schneidero De Servio Sulpicio icto Spec. II. p. 10. sq., cui in refingendo Ulpiani loco prorsus adstipulor. De utroque Aelio v. Zimmern p. 268. sq.

frater] M. Vacar. *fratres* et mox *Elius,* pro *Aelius,* omisso praenomine.

Atilius] Vulg. *Attilius.* De scriptura nominis v. ad Cic. de rep. I, 1. Fuerunt, quos inter Muretus, Rupertus Anim. III, 4. p. 173, Bachius Hist. iur. civ., qui *Acilius* mallent, scilicet decepti ii mendosa Ciceronis scriptura. V. Gernh. ad Cic. Lael. 2. Ceterum in Cic. l. l. et de legg. II, 13, 59 cognomen est *Lucius:* quam discrepantiam in erroribus Pomponii referunt. V. Zimmern p. 104 et Schneider De Servio Sulpicio Spec. I. p. 12. M. Vacar. *Atilinius,* omisso praenomine.

ut] Hal. *et,* mox *fuerunt.* Verba *ut — fuerint* absunt ap. M. Vacar.

Atilius autem etc.] V. ad §. 37. M. Vacar. *Attilius.*

Sapiens appellatus est] M. Vacar. *appellatus est Sapiens.* „Iam omittit, ait Wenckius, Vacarius ea omnia, quae de allis ICtis reliqua §. 38 parte, tum §. 38. 40. 41. 42 narrantur, et ad ea transit, quae de Servio Sulpicio §. 43. continet. Qui a Pomponio iam §. 42 commemoratus, hic, quum simpliciter secundum lectionem Florentinam vocetur *Servius,* Vacarius *Sulpicii* nomen aut ex antecedentibus supplevit, aut e libris vulgatis retinuit.“

Ennius] V. ad Cic. de rep. I, 18. p. 70.

Tripertita] Vulg. *Tripartita.* Ex hoc libro, quem ab auctore ipso Tripartita antiquo loquendi more appellatum esse non est dubium, sumpta sunt, ut opinor, ea quae ex Aelio de penoris legato afferuntur a Gellio IV, 1 et Ulpiano XXXIII D. I, 3, 9: quandoquidem probabile est, scripta ea esse ab Aelio ad XII Tab. quintam, qua de hereditate legatisque agitur. Qua re haud levis momenti, ut videtur, argumentum accedit ad ea, quibus Schneiderum Aelii nomen Ulpiano l. l. vindicare studuisse, supra notavimus.

deinde] Hactenus vulgatum *dein:* quod qua auctoritate cum illo commutaverimus, ad §. 13 diximus.

referuntur] Vulg. *feruntur.*

Cato. Deinde] Absunt ap. Hal. et uncis inclusit Cuiacius in contextu. Muretus, ut vulgata, deleto *Cato* ita: *Hos sectatus ad aliquid est deinde M. Cato,* ut Schultingius quoque, notante Smallenburgio p. 65; quod displicere debet vel propter insolentem v. *deinde* sedem. Proposuit Cuiacius in notis: *Hos sectatus ad aliquid est. Deinde M. Cato* etc., probante Bacchovio. De Catone v. Zimmern p. 270 sq.

ex quibus ceteri oriuntur] Verba haec puto redundare et esse glossam alicuius, qui cum putaret hoc dici, plurimos fuisse filios Catonis Censorii, addiderit ab iis filiis oriri caeteros Catones. MVRETVS. Cuiacius haec ita explicat, ut ex patre et filio caeteri Catones sive Porcii oriantur. Hieron. Cagnolius ad scriptos libros haec verba refert, ut quae ab aliis iurisconsultis scripta sunt ortum et radicem ex dictis libris habuerint. Sed Bacchovius probat Mureti sententiam: quod haec verba delenda arbitretur: quoniam absurdum sit de liberis et filiis plurimis Catonis id accipi, neque satis recte dici videatur, quod libri quos caeteri de iure scripserunt, originem trahant ex libris filii Catonis, et utique nihil necesse fuerit Pomponium hoc admonere, quod gens Porcia fuerit propagata per M. Catonis filium. LEEWIVS. Non male Pothier. in not, ad h. l. observat, postrema verba *ex quibus,* M. Catone scil. et filio eius, *ceteri oriuntur* forte a Pomponio addita esse in honorem familiae Catonum, quae, quum scriberentur, adhuc Romae exstabat florentissima; neque adeo necesse, ut verba haec glossam continere putemus cum Mureto. SMALLENBVRG. Neque tamen vana

et mihi visa est Mureti suspicio. Locum in ambiguis refert Zimmern l. l. et p. 273.

§. 39.

Brutus] V. Zimmern p. 277.

Manilius] V. Zimmern p. 276.

qui fundaverunt ius civile] V. ad Cic. de rep. I, 13. p. 51.

etiam] Abest ap. Hal.

Brutus septem etc.] Ob locum Ciceronis II *de oratore* c. 55 Bynkersh. *in Praeterm.* legit *Brutus tres, Manilius septem.* BRENKM. Bynkershoekio assentitur Heineccius Hist. iur. I, 3, 137. not. An ex huius Bruti libris est *requietem,* quod citat Inc. ap. Haupt. ad Ovidii Hal. p. 95?

scripta] Hal. et Pacius *inscripta* [quod edidit Beckius]. V. Bynkersh. in *Praeterm. h.* GEBAVER.

Illi duo consulares] Zasius refert ad Brutum et Manilium, contra textum subiicientem (*Brutus praetorius*). Neque linguae elegantia patitur, ut ad Manilium et Mucium referantur, cuius relativa vis est ad remotiora referri. Unde depravatum hunc textum rectius legi voluit Cagnolius hic, expuncto verbo (*illi*). LEEWIVS.

Publius autem Mucius] V. Zimmern p. 277 sq.

§. 40.

Publius Rutilius Rufus] V. Zimmern p. 280 sq.

proconsul fuit] D'Arnaud Diss. de vit. Scaevol. 30. p. 83 legit: *proconsuli adfuit.*

Aulus Verginius] De hoc nihil usquam alibi traditum est; et puto nomen depravatum esse. MVRETVS. Hottomannus, teste Leewio, malebat scribi *Scaurus Vigellius.* Scilicet ad hunc ipsum diem secure *Paulus Verg.* vulgatum, quum olim iam *Aulus* reponendum esse Langius docuisset ad haec Ciceronis Lael. 27: *equidem etiam admodum adolescentis, P. Rutilii, A. Virginii.* Eosdem dici apud Tullium et Pomponium, etiam Ruperto Anim. III, 6. p. 182 visum est. Cf. Ernesti Clav. Cic. sub *A. Virginius.* Bachii Hist. iurispr. II, 2, 4, 38. p. 255. Stockm. Zimmern p. 282. Ceterum male nonnulli, in quibus Beckius quoque, *Virginius* pro *Verginius.*

Quintus Tubero] V. Zimmern l. l.

Panaetii] Pro vulg. *Pansae*, quod nihili est, iam Hal. id quod etiam Mureto in mentem venerat, quodque nunc tandem praeeunte Beckio a nobis susceptum est, scripserat. Panaetio et disciplina et familiaritate maxima Tuberonem iunctum fuisse, permulti testantur Ciceronis loci. V. Ernesti Clav. Zimmern p. 281.

qui et ipse consul] Negant hoc doctissimi viri. [Cum Mureto Bacchovius.] V. Bynkersh. in *Praeterm. h.* GEBAVER. Suffecti munere M. Porcio Catone demortuo a. 635 functum esse, existimat Pighius. Potest vero etiam id Pomponii errori tribui, vel a mala manu profectum esse, ut censet Schultingius, ad quem adnotavit Smallenburgius p. 67: „Aliter Bertrand. de iurisperitis II, 3. qui verba haec transponit, et refert ad Virginium, et pro *Paulus* legit *P. alius*, probante Stockmanno ad Bach. Hist. l. l. §. 38."

Pompeius etc.] Hal. *Pompeius Cnei Pompei patruus. Fuit et eodem tempore Caelius.* Vulgo pro *patruus* legebatur *patricius*. BRENKM. De hoc Pompeio v. Zimmern p. 283.

Gnaei] Kriegel. *Cneii.* V. ad §. 7. Beck. *Cnaei.*

Coelius Antipater] V. Zimmern p. 283. De historiis eius, quas commemorat Pomponius, v. Lachmann De fontibus Livii p. 31. Notemus hac occasione oblata fragmentum ex eiusdem operis libro primo nuper demum inventum in Incerti fragm. de verbo ap. Eichenfeld Anal. gramm. p. 173: „Coelius in primo *illis facilius est bellum tractare*, hoc est diu trahere." Item alterum ex Schol. Ms. Leid. ad Verg. Georg. II, 197 ab Heinsio excitatum: „Saturi] Locus Tarenti, quae Coelius in quinto libro historiarum dicit nomen accepisse a Satura puella, quam Neptunus compressit;" de quo Schol. v. Suringar Hist. cr. Schol. lat. T. II. p. 259. seq. et Wagneri Comm. de Iunio Philargyro II. p. 28. Tertium, sed sine operis inscriptione, mutilum exstat in Vergilii intpp. vett. ed. Maii p. 45: mutilum dixi, quia nihil servatum nisi *Meam . . . factum;* nam quae sequuntur *meandro* etc. sunt Vergilii et tum adnotatoris verba, non Coelii, ut putavit Maius. Adde aliud Grammatico inc. laudatum ap. Haupt. ad Ovidii Halieut. p. 99: *perpetuum salientem.* Sed haec obiter, cura diligentiore haud indigna.

Publius Crassus etc.] Lucius Crassus fuit ICtus disertissimus, sed non P. Mucii frater. Inde forte Hal. haec verba *hunc C. a. i. disertissimum* parenthesi inclusit, et in margine

adiecit: *(nam omnia exemplaria habent)* Forte scriptum *L. Crassus*, et legendum *Licinius Crassus*, ut plures Viri dicti volunt. Florentiae legitur *Munianus*, et servavit Hal. at in margine adiecit *alias Mutianus*. Vulgo habetur *Mutius*. BRENKM. Ciceronis locus ignoratur. Bynkersh. in *Praeterm. h.* Addam Taur. in Adnot. *Mucianus. Sic in vet. in Pan. Munianus. de P. Crasso Muciano non semel apud Ciceronem.* GEBAVER. Scripsi cum Mureto *Publius* pro *Lucius*, quo rescripto nihil quo haereamus relinquitur. Falsum cognomen Pomponii errori tribuere mavult Perizonius Animadv. hist. 9. p. 363. Tullii locus est Brut. 39, iam a Ruperto Anim. III, 7. p. 184 indicatus, ex quo huc maxime pertinent: *quum uterque ex contraria parte ius civile defenderet, ut eloquentissimus iurisperitissimus Crassus, iurisperitissimorum eloquentissimus Scaevola putaretur*, vel potius quae mox sequuntur: *Nam, ut paullo ante dixi, consultorum alterum disertissimum, disertorum alterum consultissimum fuisse.* Cf. de or. I, 39. Fatendum tamen, ea verba Pomponium non accurate exscripsisse, tribuendo id, quod de Mucio Cicero praedicat, Crasso. Cuiacio verba *hunc Cicero* etc. traiecta esse videbantur et adscribenda Q. Mucio Scaevolae sequenti §. post verbum *redigendo*, idem sentiente Ruperto Anim. III, 6. p. 183. „Sed, ait Smallenburgius p. 67, Arntzen ad D'Arnaudii Diss. de vit. Scaevol. §. 15. p. 37 sq. coniicit, verba illa *hunc Cicero ait* etc. non esse Pomponii, sed in margine ab aliquo adscripta fuisse ad seq. §. verba *Q. Mucius, P. Filius*, deinde in contextum, et alieno quidem loco, recepta.“ De Muciano cf. Zimmern p. 279.

§. 41.

Quintus Mucius] V. Zimmern p. 284. Puchta Inst. T. I. p. 424.

ius civile primus constituit etc.] Quae horum verborum vis sit, prolixe ostendit Schneiderus De Serv. Sulpicio Spec. I. p. 30 sq., sententiae suae summam his comprehendens p. 37: ante Q. Mucium solitos fuisse iurisconsultos singulas, quas tractaverant, caussas in libris suis colligere, nullo observato ordine nec constitutis generibus, sub quibus illae comprehenderentur, ita ut iure meritoque diffusum eo tempore ius civile et dissipatum dici posset; Q. autem Mucium fuisse primum, qui regulas et praecepta, quae in tam multis responsis continebantur,

ex illis deduceret, et secundum genera componeret, atque id quidem sic, ut erat usui, qui solus in eo erat, accommodatissimum. . . . Quemadmodum igitur olim Manilius, P. Mucius et Brutus fundaverant ius civile, hoc est, primi responsa, ut data erant ab ipsis, collegerant, sic Q. Mucius primus id ius civile constituit, hoc est, singulorum responsorum et caussarum argumenta ad certa genera revocavit.

§. 42.

Gallus] Flor. *Calhus*, ut aiunt.

Aquilius] V. Zimmern p. 287. Puchta T. I. p. 425. Augustinus De nom. Pand. col. 213 malebat *Aquillius*, et mox *Lucillius*. *Aquillium (Aquillii) iureconsulti libertum* ex Grut. p. 652, si modo titulus genuinus est, excitat Rupertus Anim. III, 8. p. 188. Sed vide ad Cic. de rep. I, 9. p. 34.

Balbus Lucilius] V. Zimmern p. 287.

Sextus] Zasius legit non *Sextus*, sed *Lucius*, quia illud praenomen *L.* Papiriis peculiare. LEEWIVS.

Gaius Iuventius] Corasius T. Iuventium esse putat, quem Cicero in Bruto c. 48 *magna iuris civilis intelligentia* praeditum fuisse ait; sed tempora non conveniunt. MVRETVS. Immo hac ex parte nihil esse, quo minus eundem putemus, praeter Corasium quum alii monuerunt, tum etiam Schneiderus De Servio Sulpicio Spec. I. p. 11, ita ut dubium maneat necesse sit, error ille in praenomine utrum Pomponio ipsi, quem in hac operis sui parte nonnumquam errasse constat, vel iis, qui eius libros excerpserunt, an librariis denique tribuendus sit. Reliqui interim intactum nomen, quum ut Pomponii, ita etiam Ciceronis librarii peccasse possint. Beck. et Kriegel. *Caius*, more suo.

tamen] Hal. *enim*; ita Beckius.

per se] Omitti vult Rupertus Anim. III, 8. p. 189.

per se eorum scripta] Cannegieterus Obs. II, 6. p. 164 transponi iubet *eorum scripta per se*.

adeo] *Ad* quod vulgatur, cum Hal. omittendum censet Schneiderus Diss. de Servio Sulpicio Spec. I. p. 70, nonnullorum codicum, quos affert (adde Clossianos tres), fide nisus; id quod etiam Bynkersh. in Praeterm. suaserat, probante ob insolentiam dictionis vulgatae Vicato Vocab. iuris T. I. p. 48. Omittit *ea* Vaticanus Mureto laudatus. Neque diffitendum, Pom-

ponium ita scribere potuisse: sed ita eum scripsisse quo minus credam, licet Beckius nunc ita ediderit, auctoritate Flor. deterreor *ea ad* exhibentis, quod cum aliis Geb. et Krieg. repetiverunt. Posset quis metathesin factam statuere et legere *ad ea*, si ferret loquendi consuetudo: sed *adpetere ad aliquid* qui dixerit Latine, non novi ullum. Quod ipse suscepi, coniecturae quidem, sed facillimae debetur, ab Ruperto l. l., ut nunc video, iam occupatae, contendendum cum iis v. *adeo* exemplis, quibus pronomini praecedenti vim addit: de quo usu disputavit Handius Tursell. T. I. p. 143 sq. Sensus est: scripsisse quidem illos iurisconsultos nonnulla, sed non talia fuisse, ut ea quidem a posterioribus magnopere probarentur: qua re Pomponius factum esse significat, ut ex manibus hominum excidissent, cui damno resarciendo Servii libri inservire possent, quippe qui ea compilavisset.

omnes] Vat. I. Pal. I. IV. Barb. Magl. et Bynkersh. II. inserunt *homines*. S. Cruc. tamen et Taurin. IV. ut Flor. Pal. III. et Trevis. ut vulgo est emendatum *ut ea omnes adpetant*. BRENKM. Vaticanus liber Mureto dicitur *homines* non inserere, sed exhibere pro *omnes*, quae scriptura etiam in Clossii Codd. 2 et 3 exstat, tralatitia harum vocum confusione; et ita scribi suadebat Cannegieterus l. l.

adpetant] Kriegel et Beck. *appetant*.

omnino] Vulgo *omnia*, probante Bynkersh. in *Praeterm. h.* BRENKM.

sed Servius eis libros suos complevit] Ad fidem codd. omnium adhuc haec verba omisso *eis* vulgantur, sententia minime perspicua, a Schneidero l. l. p. 71 ita exposita: „His [iurisconsultis quatuor illis] ille Servium opponit, *qui libros suos compleverit*, hoc est ab omni parte diligenter composuerit et absolverit, ita ut iurisconsulti iis valde uterentur; qui vocis *complendi* sensus ab eius natura minime abhorret. Certe haec interpretatio [iam a Ruperto l. l. proposita], videtur multo esse aptior, quam ista, secundum quam Servius libros suos illorum quatuorvirorum sententiis complevisse dicitur. Cui non solum quae de Servio nobis tradita sunt, repugnant omnia, quem scimus dialectica arte instructum suam propriam viam iniisse et persecutum esse, sed etiam ipsa Pomponii verba obstant. Nam illos a Servio tantum *nominari* dicit, non scripta eorum ab hoc in suos libros recepta

esse; neque hunc libros suos aliqua re, veluti illorum doctrina, *complevisse*, sed simpliciter eum libros suos *complevisse* scribit.“ Sed haec, quod pace viri sagacissimi dixerim, acutius quam verius disputata sunt. Etenim ut *libros complere* simpliciter pro absolvere, ab omni parte diligenter componere, nemo qui Latine saperet, dicere potuit, ita neque Pomponii verba ipsa sententiae alteri obstant, neque denique ita ut statuamus postulat scriptorum Servii ratio. Quod sententiarum processus et nexus paulo accuratius examinatus monstrabit. Mucii auditorum complurium, ait Pomponius, praecipuae auctoritatis fuisse Gallum, Balbum, Papirium, Iuventium, et in his, teste Servio, maximae apud populum Gallum; quodsi ita habeat, tamen omnes, h. e. praeter Gallum etiam ceteros tres iurisconsultos nominari; eorum autem scripta non talia esse, ut valde ea adpetantur, neque versari omnino in manibus hominum; quum tamen Servius multa ex iis libris suis inseruerit, memoriam ipsorum servatam esse. Vides quam belle haec procedant et cum ipsis Pomponii verbis conveniant. Iam si ex scriptis illorum quatuorvirorum hortulos suos Servius irrigavit, id si ita ab eo factum est, ut placita sua aliorum sententiis exornarit, non video quid Servii laudibus detrahatur, vel quid arti dialecticae, qua viam suam propriam persecutus dicitur, adversetur magnopere. Is vero ut evadat quem dixi sensus, necesse est rescribatur id quod post *Servius* inserendum curavimus *eis* (sive *iis*) quod dudum a me inventum, nunc a Schneidero edoceor etiam Cannegieterum Observat. II, 6. p. 164 proposuisse; quae eo lenior loci videbitur medicina, quo crebrius id vitii genus in Mss. est, quo a syllaba vocis similiter desinentis extrema subsequens oblitterata est: quo genere nullum aliud in ipso Florentino frequentius esse, peridoneorum exemplorum numero sat magno ostendit singulari capite Rad. Fornerius Rer. quotidianar. II, 2. p. 161 (Otto Thes. T. II.). Quod denique optarim *eis*, non *iis*, ut Cannegieterus, vel *is*, quod veteres constat scripsisse quodque ex syllaba ultima v. *Servius* facillime prodiret, id feci ob fidem Florentini, quo quidem *isdem* pro *iisdem* constanter scribitur, sed eadem pertinacia *eis* retinetur. V. ad §. 4 et 6. Similiter, sed tamen non ita ut inde scripturam receptam defendas, dixit Cicero de rep. III, 8: *alter autem de ipsa iustitia quatuor implevit sane grandeis libros.* Adicio, Cannegieteri illam scriptu-

ram iam olim probatam esse ab Arntzenio et Schrodero, ut doceor a Smallenburgio p. 68.

per cuius scripturam] Hal. *ex cuius scriptura* [quod suscepit Beckius]. Vulgo et in quibusdam Mss. *per cuius scripta* [quod probant Rupertus l. l. et Cocceius, nisi quod hic etiam Haloandrinam lectionem admitti posse censet.] Bynkershoekius mavult *per cuius scripturam*. BRENKM. Ex Flor. a Geb. et Kriegel. vulgatum *pro cuius scriptura*, quod Cannegieterus l. l. explicuit *pro dignitate scriptorum Servii ipsorum quoque memoria aestimatur*, sensu alieno, ut bene Schneiderus l. l. ostendit: qui quum etiam in Cod. Lips. B *per cuius scripta* repererit, recte statuit legendum aut *per cuius scripta*, quod ipsi cum Mureto magis placeret, aut *per cuius scripturam*, phrasi *memoria habetur* comparata cum Pomponii §. 47: *ut maior iuris auctoritas haberetur*. Voculas *per* et *pro* in Flor. permutari exemplo monstravit Muretus.

§. 43.

Servius] Hal. *Servius autem*, quod probavit Beckius. Vulg. *Servius autem Sulpicius*. V. ad §. 38. extr. Quod in seq. a Servio factum narratur, quum a VV. DD. in dubium non sine aliqua veritatis specie ideo vocatum sit, quod Cicero demum post a 673, quo Q. Mucius iam trucidatus fuerit, ad caussas agendas accesserit, Schneiderus De Servio Sulpicio Spec. I. p. 7 sq. recte ostendit, Pomponium totum occupatum in praedicandis Servii laudibus, huic quum secundum locum in caussis orandis post Ciceronem tribueret, universe utrumque inter se comparasse, de temporis, quo quisque caussas agere coepisset, diversitate minus curiosum. Cf. Puchta Institutionen T. I. p. 426.

aut pro certo] Hal. *aut certe*, probante Const. Land. Exercit. in Ottonis Thes. T. III p. 1394. Budaeus *aut saltem*.

optineret, traditur] Taur. *optinereTraditur*. De sensu vocis olim variis modis tentato v. Schneid. l. l. p. 8 et Spec. II. p. III. Beck. et Kriegel. cum aliis *obt.*

cumque eum etc.] Hal. *cumque eum de iure respondentem parum intellexisset, et iterum Quintum interrogasset*, et ita in sequentibus *esset*, et *percepisset*. GEBAVER. *Respondentem* Muretus quoque: cui assentiuntur Budaeus et Zasius, iidem tamen

etiam *respondisset*, expuncto verbo *eum*, legi posse fatentes. Beckius nihil mutavit nisi quod scripsit *respondentem*. Pro *eum* unus M. Vacarii Cod. *enim*.

Quintum] Vulg. inserit *Mutium*. BRENKM.

et ita obiurgatum esse] Hal. *ita obiurgatum*, ut τὸ *et* et τὸ *esse* absint. GEBAVER.

obiurgatum] M. Vacar. *iurgatum*.

Turpe etc.] Cic. Orat. 34, 120: *Quid est enim turpius, quam legitimarum et civilium controversiarum patrocinia suscipere, quum sis legum et civilis iuris ignarus?* Alios locos ex eodem scriptore similes excitavit Schultingius.

et nobile etc.] Hal. *et nobili viro causas exoranti*, an ideo quod olim in archetypo erat *ex causas oranti?* Vulg. *et nobili viro et causas oranti*. BRENKM. Verba *et nobili* absunt a M. Vacar., mox *ornanti* scribente. Cod. II. eiusdem notanda haec: *esse turpe patricio et nobili et causas orare et ius* etc.

iactatus] Lego *tactus*, ut est in libro Vaticano. MVRETVS. [Idem M. Vacar.] Hal. *tractus*. Erat quondam Flor. *tractatus*, uti etiam Taurellius edidit, at corrector nescio quis delevit *r* et *cta* nimis praecipitanter. Si enim *tractatus* in *tractus* reformare voluisset; *c* saltim intactum relinquere debebat, sin in *tactus*, etiam *r* delere. Vulg. habet *tactus* [quod probat Coccceius]. Defendi posset *tractus* per L. 28. §. 1. *infra ad L. Iul. de Adult.* At *tactus* placet Bynkershoekio. Utriusque lectionis exempla in Mss. occurrunt. BRENKM. In Collat. reperi S. Cruc. et Trevis. habere *tactus*. Adde Marqu. Freherum *Verisimil lib.* II. *c.* 1. GEBAVER. Schneiderus l. l. p. 7. *tactus* mavult, quod ait reperiri et in Codd. Lips. B. C. D, et id Beckius expressit. Quem vero fugiat, rem paulo attentius intuentem, ex *tractatus*, si olim ita legebatur, multo difficilius evasisse *tactus* vel *tractus*, quam contra ex his *tractatus*, cuius loco quod in Codd. est, non potest non ex compendio scribendi male explicito repeti. Pro *tractatus* autem, quod retinent Geb. et Kriegel., cum aliis multis a Smallenburgio p. 69 citatis, scripsi id quod et sententiae et usui loquendi aptissimum visum, lenissima et ipsum medicina paratum. Cic. Ep. ad fam. I, 5. med. *iactatus est clamore et convicio. Iactare probra*, vel *convicia* dixerunt Livius XXIX, 9 et Propertius III, 6, 11. Cic. pro Quint. 2: *ut multis iniuriis iactatam atque agitatam*

aequitatem; et c. 31: *multis vexatus contumeliis*; *plurimis iactatus iniuriis*. Simile tantum Parad. IV, 1: *Iactam et emissam a te nefariam in me iniuriam*, ubi Codd. nonnulli *iactatam*, sed non probandum. Ceterum Freherus Parerg. II, 17 (Otto Thes. T. I. p. 928) coni. *laxatus*; Cannegieterus Obs. iur. Rom. III, 2. p. 234 *suscitatus*.

et plurimum — audiit] Omittit M. Vacar.

audiit] Beck. *audivit*.

institutus] Hal. *instructus*. Cagnolius totum locum ita rescribi vult: *instructus autem maxime a Luc. Balbo et Gallo Aquilio*.

Lucilio] M. Vacar. *lietilio*: unus Cod. *lucillo*.

Cercidae] Hal. *Cercinnae*, Vulg. *Circinae*. M. Vacar. *cercine* et *cercinie*. Quum propter ignorantiam loci quidam variis modis scripturam codicum tentassent, alii Cercyram, vel alia omnia loca interpretati essent, Schneiderus l. l. p. 15. sq., diligenter examinatis reiectisque virorum doctorum commentis, quae perlustrare nihil iam attinet, egregie demonstravit, Florentini lectionem *Cercinae* auctoritate insuper codd. Lips. B. C. et D. sustentatam, genuinam esse, intelligendamque esse, id quod iam ante eum suspicatus erat Maiansius Comment. ad XXX Ictorum fragmenta T. II. p. 63 et 65, urbem in cognomine insula maris Syrtici prope Africam sita, hodie *Gamelera*: cuius mentio, ut alios qui eam commemorant scriptores a Schneidero laudatos omittam, iam fit apud testem omnium antiquissimum Scylacem Peripl. 109. p. 314. ed. Gail. Μετὰ δὲ ταύτην Κερκινῖτις, νῆσος καὶ πόλις . . . κόλπος μέγας εἴσω, ἐν ᾧ ἡ Σύρτις ἐστὶ ἡ μικρά, Κερκινῖτις καλουμένη. Quo loco ut recte habet posteriore loco scriptura Κερκινῖτις, ita priore, si reputaveris in huius potissimum scriptoris contextu refingendo maxime scripturae maiusculae, quam dicunt, rationem habendam esse, qua de re alibi exposui, non cunctabere mecum Κερκίννη (ΚΕΡΚΙΝΝΗ-ΚΕΡΚΙΝΙΤΙϹ) vel per me licet Κέρκινα, reponere: nam minor illa insula, Κερκινῖτις dicta, maiori ponte iuncta, cuius praeter Strabonem etiam Agathemerus I. p. 321 ed. Hoffmann. meminit, intelligi nequit. Adde denique eiusdem insulae mentionem fieri in Stadiasmo maris magni 105 et 106. p. 456. ed. Gail., ubi est Κέρκινα; apud Strabonem Κέρκινα, quae forma nominis firmatur testimonio Dionysii Perieg. 480. — Ceterum quaesitum est a VV. DD., verba *qui fuit Cercinae* quo referenda sint, utrum ad Aquilium, an ad Servium.

Qua in re Schneiderus quum bene perspexisset, ex naturali sententiarum nexu ea ad Aquilium pertinere debere, quod de domicilio Aquilii in Cercina insula nihil aliunde constaret, hoc modo elevare studuit, ut quum Servium in Africa certe fuisse traditum esset, eodem etiam Aquilium confugisse non improbabile statueretur. Idem vero sententiam suam posthac ita retractavit, a God. Hermanno monitus, ut Specimine altero de Servio Sulp. p. III. in huius sententiam nunc se ire malle professus sit, verba ista, puncto post *Aquilio* posito, ad Servium referri iubentis: quo efficitur, ut tum etiam quae sequuntur *itaque libri* etc. ad eundem spectare debeant. Sed quos Hermannus ad insolentem relativi *qui* usum ex ipso Pomponio §§. 2. 4. 37 attulit locos, quibus demonstretur relativum non semper ad proximum, sed nonnumquam etiam ad remotum subiectum referri, ex his unus, qui exstat §. 4, rei probandae, si quid video, idoneus videtur, neb tamen cum nostro comparandus est, in quo minime in eo haerendum, quod *qui* ad superius subiectum referri debeat, sed quod admisso *qui* misere nexus sequentium, in quibus idem subiectum manet, turbetur. Num quis scriptor, nisi qui omnem sermonis cultum prorsus negligat, ubi de eodem subiecto agitur, hanc orationis formam concinnare sibi concessum putarit? „*Qui* fuit Cercinae. Itaque libri complures *eius* exstant. *Hic* cum in legatione perisset etc.“ Quae sermonis scabrities facile vitari poterat. Quare tutius visum rationem a Schneidero prius initam sequi.

exstant] Kriegel. hic et alibi sine *s*, invito Flor.

Hic] Addit M. Vacar. *autem*.

perisset] Beck. et Kriegel. *periisset*.

ei] Abest a M. Vacar. mox *R* tantum exhibente pro *pap. Rom.*

complura] Idem vitiose *copula*.

et hodieque] Recte, ni fallor, hic *et* retinuit Taurellius, etsi Florentiae deletum sit. Est enim litura recens. Ital. pro *et hodieque* reposuit *et Hostiae*, improbante Bynkershoekio. BRINKM. Phrasis *et hodieque* Pomponii certe aetate in dubium vocari nequit: usus ea est Martialis Gargilius, ad quem v. not. Maii Auct. cl. T. I. p. 401.

complura] Hal. *compluria*.

octoginta] In lectionis Taurellianae varietate contextui subiecta neglectum est adnotare *octaginta*, ut ex Flor. vulgavit Taurellius retinuitque Gebauer.: quod licet reliqui omnes *octo-*

ginta exhibuerint, fortasse servare debebam, aut certe scribere *octuaginta*, quam formam adeo in vetustis Ciceronis Mss. se invenisse narrat Lagomarsinius in Seebodii Misc. crit. T. I. p. 413. Ex qua non mirarer, si etiam prodiisset *octaginta*.

§. 44.

Ab hoc etc.] Tota haec §. abest a M. Vacario.

profecerunt] Valg. *profluxerunt*. Mureto teste, libri nonnulli *ab hoc plurimi profecti profluxerunt*. Cagnolius: „Alii *processerunt*, alii *provecti* id est in studiis eruditi viri bene aucti, secundum Zasium, vel melius legas *profecti*, qui ab ipso Sulpitio descendere.“ Smallenburgius p. 71: „Forte *profecerunt* Pomponius scripsit pro *profecti sunt*; alioqui mallem *provenerunt*, ob soni similitudinem.“

fere tamen hi libros] Fere, quia postea duos ex decem commemoratis excipit; alii volunt haec verba expungenda esse, quasi superflua, et bis idem positum quum postea dicat, *ex his decem octo libros scripserunt*. LEEWIVS. Post *hi* addi ex Ms. iubet *omnes* Ernstius in Meermanni Thes. T. VI. p. 845.

Alfenus] Consentiunt in huius viri, de quo v. Zimmern p. 295. Puchta Institutionen T. I. p. 428, nomine scriptores, tam Latini quam Graeci (v. c. Schol. ad Basilica, quorum locos collegit Schneiderus De Serv. Sulp. Spec. I. p. 91), qui eius mentionem fecerunt, veteres omnes: quorum fidem aspernatus, unus Orellius Horatii Serm. I, 3, 130 *Alfenius* invitis codd. vindicavit, posthac Anal. Horat. p. 9, allata ex marmore quodam scriptura *Alfenius*, hanc solam nominis formam genuinam profiteri ausus. Cui opinioni ipsa, ni fallor, Horatiani loci conditio obest, quandoquidem ut tribus syllabis *Alfenius* Horatium, in nulla metri necessitate, adhibuisse non ante credam, quam antiquum illud loquendi genus (*Alfenius*) poetam revera admisisse, validiore quam quo rem in Horatio insuditam defendere studuit Orellius exemplo, Serm. II, 8, 1, edoctus fuero. Nam ut non afferam, quod in nomine quinque syllabis constante licuerit, idem in quadrisyllabo, nulla caussa urgente, minus licuisse, eo Sermonum loco ita fluctuat codicum scriptura, ut temere agere videamur, si eo in fidem testimonii uti velis. At indubitata lectio *Alfene* exstat ap. Catull. 30, 1 et ALPHENVS exhibet Grut. p. 991, 6.

Gaius] Tam multa de toto hoc loco sane gravissimo conscripta sunt, ut qui omnes virorum doctorum sententias quam

maxime inter se dissidentes complecti examinareque vellet, ei libellus, ut ait Schneiderus Spec. I. p. 95, scribendus esset: quo labore eo lubentius supersedere possumus, quo diligentiore cura primaria certe magistrorum commenta Schneiderus l. l. expendit, suumque denique iudicium, de quo posthac dicendum, subiunxit. Igitur summam attingam et quam brevissime. Principalem loci difficultatem in eo versari, quod quum mox decem tantum numero fuisse praedictos Servii discipulos Pomponius scribat, ii tamen, ut nunc contexta ferunt, plures et quidem undecim, ut nonnulli putarunt (nam ne hoc quidem certum est) nominentur, ab omnibus, qui hunc locum tractarunt, perspectum est. Huic discrepantiae tollendae ita succurrere studuerunt, ut hoc vel illo nomine dempto iustum efficerent numerum: in quo valde miror, si quidem aliis dubiis locus non premeretur, nemini, quantum sciam, in mentem venisse, lenissima medicina scribendo *undecim* pro *decem* locum in ordinem suum redigi. Atque Maiansius Comm. T. II. p. 155 Publium, Gellium, Ateium, Pacuvium singulatim numerandos ratus, certe *ex his XII* pro *ex his X* legendum suspicatus est. Sed recte plurimi in ipso nomine *Gaius* post *Varus* posito offenderunt. „Etenim non credibile est, ut ait Schneiderus p. 96, fuisse aliquem inter Servii auditores, qui tantam habuisset celebritatem, ut Pomponio satis esse videretur, si solo eum praenomine signicaret; nam gentile illud nomen non esse, apertum est *). Atque alii v. *Gaius* ad sequentia vv. trahere volebant, ita ut duobus ornaretur *Ofilius* praenominibus, quod quum prorsus abhorreat ab eo qui liberae reipublicae tempore obtinuit usu, recte reprobavit Bachius Hist. iurispr. Rom. II, 2, §. 46. Alii loco v. *Gaius* aliud quid substituerunt, sed non ita felici successu, ut Maiansius T. II. p. 154, qui *Cremonensis* scribere voluit. Alii delendam esse vocem *Gaius* constituerunt, ut Cuiacius, sed, quantum scio, contra fidem codicum omnium, certe Lips. B. C. D. constanter illam vocem retinent. Alii etc.“ Addo quod *Gaius* et ideo displicet, quod Pomponius in hac iurisconsultorum enarratione singulos quosque binis nominibus designare voluisse videatur, ita ut aut eum prae-

*) Verissimum, quod de nomine *Gaius* Schneiderus monet, pro aetatis, de qua agitur, ratione: posteriore autem tempore id secus habere, ostendit *Gaii*, Institutionum auctoris, nomen, de quo v. Praefationem.

nomine gentis nomen, aut hoc cum cognomine iungat. Quod si ita habet, nova nascitur suspicio de nomine *Cinna* nude posito, quod simili qua *Gaius* conditione laborat: quod neque retrorsum, neque commode prorsum trahendo expediri potest. Accedit denique quod rursus tria habemus nomina in vulgata loci descriptione *Gaius Ateius Pacuvius*, ubi *Gaius* superfluum videri possit: hoc tamen loco, quippe quo tria nomina iuncta reperiantur, fretus contextum restitui existimat Schneiderus transponendo *Gaius* ante *Alfenus Varus*, quo facto iam patet uno quidem vitio liberatum putari, minime vero persanatum esse totum locum. Ego vero in hoc discrimine rerum tantaque sententiarum fluctuatione viribus meis diffisus, satius duxi vulgatam scripturam, licet manifeste vitiosam, retinere, quid ipse sentiam, in notis iam expositurus. Utrumque mihi displicere dixi, et prius et posterius nomen *Gaius*: concedam tamen alterum posse defendi. Malo vero ambo insititia putare, quippe ex duplice librarii errore et alieno quidem loco inserta, quorum unum ante v. *Cinna* ponendum fuerat, quod absque nomine sive praenomine esse non potest. Tam si quidem fas est Helvium Cinnam poetam intelligere, coniecturam nostram egregie firmat quod huius praenomen *Gaius* fuit, v. Weicherti Poet. Lat. p. 150: quem quo minus a Pomponio dictum putemus, minime obstat, quod nostra quidem memoria nomen eius in iurisconsultis antiquis ignobile fuit; potest enim unus illorum duorum fuisse, qui teste Pomponio libros non conscripserint. Neque debet offendere quemquam, quod de Cinnae studiis iuris civilis nihil memoria proditum est: haud magis liquet de T. Caesii, vel de Aufidii Tuccae, vel de Flavii Prisci. Admissa coniectura mea nihil est quod desideremus. Habemus primum tot iurisconsultorum nomina, quot requiruntur, h. e. decem; tum eam orationis aequabilitatem, qua Pomponius probabiliter usus est, ut binis nominibus quemque designaret; nihil denique offensionis in nomine *Gaii*. Beckius *Caius*, ut solet scribere, cum sequente nomine iunxit.

Aulus Ofilius] V. Zimmern p. 294 et Puchta Inst. T. I. p. 427.

Titus Caesius] Hal. *Titius Caesius*. Vulg. *T. Celsus*.

Tucca] Zasius post Raph. legit *Sura*, quem Plinius lib. VII scribit offenso pede in comitio, quum Senatum ingrederetur, interiisse. LEEWIVS.

Aufidius Namusa] De huius opere nomine *Collectaneorum*

sive *Coniectaneorum* inscripto VV. DD. quid statuerint, vide apud Smallenburgium p. 71.

Gaius Ateius Pacuvius] Quis hic fuerit, nemodum explicuit. Cuiacius commate interposito Gaium ab Ateio Pacuvio distinguit: duos diversos statuit et Maiansius ICtor. fragm. T. II. p. 150, ut esset unus *Caius Ateius*, alter *Pacuvius*. Ateium nostrum, Servii auditorem, nude binis locis Digestorum laudari existimat Schneiderus Spec. I. p. 97, contra Capito ubi significandus sit, cognomen hoc apponi adnotans. Fortasse. Pro *Pacuvius* Vulg. *Proculus*. Cf. Zimmern p. 293.

Cinna] Cagnol. haec verba coniungit: *pater Cinna*, expunctis prioribus *Labeonis Antistii*, quasi illa abundarent, nec *Cinnam*, sed *Cecinam* legendum putat, quia duos Cecinas patrem et filium ex Cicerone in Orat. et Epist. fuisse constat. Et quod Seneca in Naturalib. Quaest. scribat: *facundus hercle vir Cecina, si habuisset in eloquentia nomen, et nisi Cic. umbra eum praecessisset.* LEEWIVS. De Cinna supra monitum.

Publicius Gellius] Alii [Vulg.] legunt *Pub. Cecilius*. Sed eum Traiani imp. tempore multo post Sulpitii aetatem vixisse probat A. Gell. lib. 20. c. 1. Pompon. Laetus scribit *P. Celsus*: quem post Raphael. Zasius sequitur. Hottomannus legendum putat *Publicola Agellius*, pro Pomponii et ipsius aetatis consuetudine, ut sit *L. Agellius Publicola*, de quo Cic. in Bruto *non tam vendibilis orator, quam ut nescires quid illi deesset*, et quem Val. Maxim. lib. 5. c. 9 omnibus honoribus ad censuram usque functum tradit. Meminit eiusdem Cic. lib. I de legib. Consul fuit cum Cn. Cornel. Lentulo a. u. c. 681, et censor fuit cum eodem Lentulo 683, secundum Pigh. et Onuphr. LEEWIVS. Schneiderus l. l. p. 97 cum cod. Lips. B. *Publius Gellius* scribi vult, quod nisi in hoc loco, ubi omnia perobscura et vitiosa, in vulgato contextu exhibendo mihi acquiescendum esse constituissem, omnium maxime probarem, quamquam ne de hoc homine aliunde constat. Hoc enim certissimum, nomina gentilicia *Publicius* et *Gellius* iuxta posita ferri non posse. Maiansius l. l. diversos duos agnoscit ICtos. Ceterum cf. Zimmern p. 293. sq.

decem libros octo] Vulg. *decem et octo libros*. Coniunctionem recte Zasius iam sustulit. In Ms. tamen Bynkersh. sine glossis *ex his XVIII libros*. BRENKM. Ita error errorem parit. Ex *decem libros octo* factum *decem et octo libros*. GEBAVER.

centum quadraginta libros] De hoc Aufidii corpore v. Schneider. p. 99. sq. Ceterum expendant VV. DD. velim, numquid valeat coniectura mea, Aufidii Namusae mentionem fieri in his Prisciani VIII. p. 793 (T. I. p. 371): „Pr. Aufidius: *Si quis alio vocitatur nomine, tum cum illis obtestatur atque olim vocitabatur*, contestatur passive posuit συμμαρτυρεῖται", ubi ipsa res, de qua agitur, de iurisconsulto cogitare nos iubet. Paullo ante ap. eundem Priscianum exstat: „Aufusius: *Omnia argumentata nomina*, argumentata passive, πιστωθέντα", quo loco an idem nomen Aufidii restituendum sit, haud aeque certum videtur: nam ap. Krehl. vulgatur, nescio an ex codd. *Aufustius*, quod nomen certe exstat ap. Plin. H. N. VII. 59 et in titulo ap. Egger Rel. serm. Lat. p. 255. Ceterum de Auf. Namusa v. Zimmern p. 293. 294.

auditoribus] Ex aliis libris Muretus affert *auctoribus*, et ita legendum esse, nisi quis mallet *ex huius auditoribus*, olim proponebat Bynkersh. Praeterm., isti tamen Mureti libri qui essent, se nescire fassus. De vv. *auditores* et *auctores* confusione in Dig. monuit Schneiderus l. l. p. 100.

ex quibus Varus et consul fuit] Scilicet suffectus a. u. c. 715. Cf. Biondi Disc. dell' acad. Rom. d'archeol. T. VI. p. 304. Plura de hoc iurisconsulto Ruperti Anim. c. 10. p. 192. Zimmern p. 295. Ceterum Vari huius auctoritate, quod obiter adicio, Pomponius l. 16 (de verb. sign.) 239, 6 vulgari de sententia in his utitur: *Urbs ab urbo appellata est: urbare est aratro definire: et Varus ait, urbum appellari curvaturam aratri, quod in urbe condenda adhiberi solet.* Cum his si Varronem de L. L. contendamus, suspicio facile nascitur, ne huius nomen male a Vari occupatum sit. Varro enim V, 135 *buram* in aratro quae vulgo dicatur, alios refert *urvom* appellasse et quidem a *curvo*. Idem c. 127: *Imburvom fictum ab urvo, quod ita flexum ut redeat sursum versus; ut in aratro quod est urvom.* Cf. etiam c. 143. de R. R. II, 1, 10 et Fest. v. *Urvat*, ubi v. Müller p. 377. De qua coniectura iudicent acutiores. Potest enim Varus ille quiscumque fuerit hortulos suos ex ipsis Varronis scriptis irrigasse. Sed revertor ad Pomponii locum l. originis verae v. *urbs* vestigia continentem, in qua explicanda Doederleinus quum non male verbum *urbandi* comparasset Synon. Lat. T. V. p. 182, mox mutata, ut videtur, sententia, T. VI. p. 385 ab ὄροφος derivandam suspicatus est, quod sibi habeat. Ne multa, *urbs* ex *urbis* eodem

modo contractum quo *orbs*, de qua forma v. Eichenfeldii Anal. Gramm. p. 135, ex *orbis*, ab hac ipsa voce forma tantummodo differt, primitiva vocali *o* in hac servata, in illa in *u* ad eam rationem mutata, qua antiqui pro primitivo *o*, etiam duabus sequentibus consonantibus, *u* dicere solebant, quemadmodum olim *nontiare*, vel *orca*, unde *urceus* evasit, quod ipse Doederleinius ex Festo confert, dictum fuit. V. Comm. de prenom. Lat. tertiae personae p. 15. Unde vero *urbs* eadem vi, quae proprie voci *orbis* inest, dictum sit, eiusdem Varronis verbis explanemus, instar omnium hic advocandi, de L. L. V, 143: „Oppida condebant in Latio Etrusco ritu, ut multa, id est iunctis bobus, tauro et vacca interiore, aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis causa die auspicato, ut fossa et muro essent muniti. Terram unde exsculpserunt, fossam vocabant, et introrsum iactam murum. *Post ea qui fiebat orbis, urbis principium.*“ Eiusdem rationis atque similis originis esse videtur, quod a populis barbaris oppidis simpliciter nomen *hrinc*, h. e. Germanorum *ring*, inditum fuit; cuius usus exemplum exstat in Chronico Caroli M., quod vulgavit Reiffenbergius Acad. roy. de Bruxelles T. VIII. Bull. No. 1. p. 19: „Dominus Pippinus rex ad locum celebre Hunorum qui Hrinc vocatur pervenit.“ Neque abludit, quod passim, praesertim in Silesiae urbibus forum primarium etiamnunc eodem nomine antiquitus recepto designatur, quippe qui locus ipsum urbis conditae principium fuisset. De ipsa vocis *orbis* origine non quaero; quam a ῥόμβος derivant Doederleinius T. VI. p. 249 et Dietrichius Comment. grammat. Numburgi 1846. p. 9: quorum hic p. 13 v. *urbs* etymologiam a Pottio propositam impugnat, secundum quam ea, metathesi litterarum facta, sanscrito *purî* et graeco πόλις, quippe in quo λ pro ρ habeatur, respondere existimetur. Talia serio exagitare non opus.

operis fundarent] Cannegieterus Disq. de Notis p. 304 legit *operis utriusque enodarent*, ut seq. §. 46, putans, vocem *utriusque* hic excidisse. Sed sine caussa: recte haec verba explicuit Bynkersh. ad h. l. id est, qui nullam iuris civilis partem reliquerunt intactam. SMALLENBVRG.

nam de legibus etc.] Hal. *nam et de legibus Vicensimae et de iurisdictione primus conscripsit.* Brenkm. certe suadebat *conscripsit*, quippe quod primitus in Flor fuisset *conscriBsit*, quae etiam Metelli sententia fuisse videtur: quemadmodum, si recte

memini, Flor. etiam alibi *b* pro *p* ante *s* de more scribendi iam multo ante, quamvis vitioso, in usum recepto, de quo v. ad Cic. Rep. II, 41. p. 241. Vulgatum *conscribit* cum Geb. frustra retinuerunt Kriegelii. Beckius cum Hal. *et* post *nam* inseruit, haud improbante, ut videtur, Smallenburgio p. 72.

Vicensimae] Beck. et Kriegel. *Vicesimae.* Littera *n* ex usu antiquorum, de quo v. ad Cic. Rep. III, 10, p. 266, in re antiqua servata. Lectionem receptam firmant Testamentum Dasumii, in quo *Vicensimae* bis mentio fit, et constans Florentini in hac voce usus, veluti II, 5, 13. XXVIII, 1, 7. L, 16, 164. Neque aliter omnino *vicensimus*, veluti XL, 1, 1. Eandemque scripturam servat Codex Neapol. a Gauppio vulgatus p. 37 et 38, licet idem *quoties* p. 34. Adde lapides Orellii Inscr. Lat. No. 3338. 3339 et Revue de philologie T. II. p. 159. Quid? si exempli Florentini scripturam exacte velimus exprimere, scribendum erit omnino *vigensimus*, quam scribendi rationem, ipso Taurellio praeeunte ab editoribus neglectam, in Pisana littera receptam esse, docet exemplum Codicis descriptum ex XL, 5, 22 in ed. Gebaueriana paginae 802 appositum. Quam scripturam Taurellius cur spreverit exhibere, eo minus perspicio, quo in Cod. maius inter utramque litteram, *C* et *G*, discrimen observatur constanter, quandoquidem haec lineola curvata, deorsum infra lineam descendente, a *C* distinguitur.

et de iurisdictione] In varr. lect. Taurell. debebam notare, *et*, quod ab Hal. adscivi, a Flor. abesse. Beckius cum Hal. *et de iurisdictione primus conscripsit.*

perquam] Hal. *quam.* Ego non magis mutarim hoc loco scripturam quam mox §. 46 *satis pulcherrima* et supra Const. *Tanta* §. 19 *tam saluberrimum.* BRENKM. Idem duobus idoneis locis Curtii et Apuleii firmat Const. Landus *Exercit. libello* Thes. iur. civ. *T.* III. *col.* 1394. GEBAVER. V. Reisigii Vorles. p. 405. sq.

§. 45.

eodem tempore et] Omittit M. Vacar.

Trebatius] V. Ruperti Anim. III, 11. p. 93. Zimmern I. p. 297. sq. Puchta T. I. p. 428. Addo, quoniam notatum non reperio, Ulpiano teste I D. de officio quaestoris Trebatium de creatione quaestorum (in libris, puto, de iure civili) egisse: neque

alium iuniorem fortasse Trebatium intelligendum esse, ostendunt qui iuxta cum eo testes ab Ulpiano afferuntur Fenestella et Iunius Gracchanus, quorum hic commentariorum, cuius ex libro septimo *de potestatibus* ista sumpta sunt, auctor iam Varroni de L. L. VI, 95 laudatur. Cf. Zimmern p. 303. Quem Digestorum locum, ut hoc obiter adiciam, more suo exscripsit Io. Laurentius de mag. Rom. I, 24, sed oscitanter, Iunio nonnulla tribuens, quae eius neque sunt neque ratione temporis, quo is scripsit, habita esse possunt. Iuvat etiam alium locum producere, quo Trebatii fragmenta augeri possunt et ex altero quidem, quod ex eius scriptis novimus, opere *de religionibus* manifeste sumptum, apud Philargyrium ad Verg. Georg. II, 381, ubi mendose vulgatur: Compita] *Ut Relatio placet, locus ex pluribus partibus in se, vel in easdem partes ex se via atque itinere dirigens, sive is cum ara, sive sine ara, sive sub tecto, sive sub dio sit, ubi pagani agrestes buccina convocati solent certa inire concilia. Hinc et Lares compitalicii et feriae compitaliciae.* Quid vero? nihil in his de Trebatio. Verba *ut relatio* quum vitiosa esse iam pridem intellectum fuisset, Wagnerus Comm. de Iunio Philargyro I. Dresdae 1846. p. 29 grammatici, cuius verba referrentur, nomen omnino requiri ratus, in *ut* Varronis, aut Verrii nomen latere suspicatus est, ut fere reponeretur *Verrii relatio placet.* Quis vero semel monitus non mecum iam scribat *Ut Trebatio placet?* Qua lectione recepta Wagneri sententia, ex mentione *paganorum agrestium* ad evincendum scholiorum illorum auctorem Christianum nihil effici posse, non modo non elevatur, sed mirifice firmatur.

quidem] Ex Flor., quicum ceteri omnes libri, duobus exceptis, consentire videntur, vulgatum *qui idem*, quod et Geb., Beck. et Kriegel. de lectionis ratione securi expresserunt, adeo ut de ceterorum editorum commentis ne admoneriant quidem. Ista vero lectio primum eo laborat, quod *idem* quo referatur non habet, tum quod relativum praeter Pomponii consuetudinem verbo suo caret. Itaque *Quinti*, praenomen Cornelii ex Cicerone notum, in *qui idem* latere opinato Goveano Lect. iuris civ. I, 24 adstipulati sunt cum Cuiacio Muretus et nunc Zimmernius quoque I. p. 297, etsi iam Bynkershoekius Praeterm. improbaverat, tum quod Cornelii nomen tam praecise commemorari necesse non esset, tum quod *qui idem* et *Quinti* nimium inter se scriptura differrent. Quo posteriore argumento ego quoque potissimum commotus sum ut

aliam medicinam loci anquirerem. Scripsi interim, quod divinando assecutus sum, quodque firmatum posthac vidi codice Bynkershoekii, a qua lectione non abluditCampensis cod. scriptura *quidam*, quod sane a loco alienum est. Tametsi cum Bynkershoekio, vulgatam defendente, confitendum est, *quidem* elumbem videri posse, tamen non tanta eius offensio est, quin interim, donec aliquis certiora proposuerit, quum praesertim codicum auctoritate non destituatur, ferri possit. At multum abest, ut ita genuinam auctoris manum restitutam arbitrer. Aut enim verba *qui idem* cum M. Vacario delenda sunt, aut scripsit Pomponius: *Trebatius, qui quidem Cornelii Maximi auditor fuit: fuit et Aulus Cascellius* etc. quae scriptura, si unum *quidem* excipis, quod otiosum est, loquendi consuetudini auctoris quam maxime convenit. §. extr. *Fuit eodem tempore et Nerva filius: fuit et alius Longinus* etc. Item §. 46.

fuit] Adiungitur vulgo praecedenti commati. Mallem, ut dixi in nota praemissa, *fuit et*, ut §. extr. in eadem orationis forma. Verba *fuit Aulus — heredem* omittuntur a M. Vacar.

Cornelii] Ex Flor. Gebauer. *Corneli*. De Cornelio v. Ruperti Anim. III, 11 et Zimmern p. 297.

Maximi] Hal. in marg. *al. maximus*.

Cascellius] Bynkersh. Praeterm. p. 280: „Hic in Pandectis Florent. cum duplici *l. l.* scribitur *Cascellius*, mox in iisdem bis cum simplici *l Cascelius*; ut testatur Brenkmanus αὐτόπτης." Haec contra Taurellium dicta sunt, trinis his locis unam *l* exhibentem: id quod cum Geb. Kriegelii retinuerunt. Hoc vero lapsu librarii factum coarguunt ceteri, quibus nomen recurrit, Digestorum loci, ubi geminata littera scribitur, veluti XXXII, 100, 1. XXXIII, 4, 6 et alibi: nisi haec scripturae discrepantia a diversitate librariorum repetenda videatur. Vulg. *Cassellius* vel *Casselius*; alii *Caesellius*: quas scripturas in vitiosis referendas esse luculenter ostendit Rupert. l. l., ipse formam *Cascellius* et codicum Horatii, Ciceronis, Ammiani, Quintiliani, et lapidum auctoritate defendens, eandem multo pluribus titulorum exemplis adstruente Fea ad Hor. Ep. in Pis. 371, quibus addi possunt quae confert Melchiorri Silloge d'iscriz. p. 81. sq. Ac fatendum, nullum me adhuc marmor invenisse, quo *Cascelius* reperiretur. Quid? quod in lapide ap. Vulpium Vet. Lat. T. II. p. 190 exstat: AVLVS CASCELLIVS AVLI FILIVS:

AEDIL CVR, qui pro nostro homine haberi possit: in quo lapide (si modo is fide dignus, quippe prolatus ex Ligorio in Mss. Ottobon.) etiam CASCELLIANVS FVNDVS commemoratur, comparandus cum *Cascellensi fundo* ap. Fabrett. Inscr. V, No. 868. Item *Cascellianum iudicium* ap. Gaium Inst. IV, 170, a nostro, ut videtur, appellatum. De ipso homine adi Zimmern p. 299. Puchta T. I. p. 429 et Orellii Onom. Tull. v. *Cascellius*.

Quinti Mucii et Volcatii] In vexatissimo hoc loco cum Mureto et Ruperto dedi id quod ad veritatem proxime accedere videbatur, quodque acumini Balduini debetur, qui Pliniani loci VIII, 60 memor, quo Volcatius quidam Cascellium ius civile docuisse traditur, hoc testimonio minime spernendo recte usus est, frustra obloquente Bynkershoekio: qui vulgatam loci lectionem, *Quintus Mucius, Volusii* [Flor. *Volosii*], recte habere Gebauero, Beckio et Krieg. persuasit. Quod vero Balduini coniecturae quum ab aliis, tum a Bynkersh. atque etiam a Zimmernio p. 299 obiectum est, de Volcatio illo, quis fuerit, haud magis quam de Volusio constare, ita ut quum etiam Plinii contextus vitiosus esse possit, certum inde argumentum ad corrigendum Pomponium colligi nequeat, id protinus reiiciendum est. Nam libri Pliniani universi, neque si numeres, pauci ii, uno consensu Volcatii nomen retinent: praeterea, quod ab alio quoquam adhuc non video notatum, idem Volcatius a Plinio VII, 53 nomine *C. Volcatii Gurgitis* laudatur: certe ut eundem esse credam, mihi persuasit quod hic *senatoris*, ille *nobilis* cognomine a Plinio appellatur; ex quo in hominis conditionem omnino facere licet coniecturam, ut sane non inepta videatur Ernestii Clav. Cic. v. *Volcatius* quastio, an non Plinianus C. Volcatius (ita enim nomen scribendum, non *Vulc.* ut etiam apud Silligium vulgatur) idem sit cum honestissimo eo viro cognomine, qui in Cic. Corneliana I commemoratur. Sed hoc in medio relinquamus. Constituto Volcatii nomine, quod in Volusii facile corrumpi potuisse nemo non videt, via simul ad cetera Pomponii verba recte restituenda satis munita videtur. Etenim ut de iis primum dicam, qui vulgatam defendunt, hi non reputarunt, Q. Mucii nomen iam ideo ferri non posse, quod quentibus in se cum Ofilio, de cuius aetate maxime sermo fit, duo tantum illi comparantur, Trebatius et Cascellius, minime vero Mucius, quod factum oportuisset, si iuxta

duos illos is simul commemoratus fuisset. Hoc perspexerunt sine dubio ii, qui *Quinti Mucii Volusii* (vel *Volosii*) reponendum suaserunt, Augustinus, Corasius, Cuiacius, Cagnolius, in hoc tamen reprehendendi, quod duo familiarum nomina eidem homini tribuerent: quod evitaturus, puto, Curtius *Scaevolae* pro *Volusii* scribi maluit. Iam quod rescripsimus, quodque etiam cum aliis Zimmernius omnium commentorum maxime probabile iudicavit, a codicum scriptura non multum discedere intelliges, si primitus exaratum fuisse concedas *Q. Mucii et.* Accedit quod loco ita reficto demum et *illius*, quo apte referatur, et quo modo de hereditate illa Mucii nepoti a Cascellio relicta existimandum sit, constat. Nec denique offendere debet in Volcatio praenominis omissio: in tanto silentio veterum de hoc Volcatio non est mirandum, si et ipsi Pomponio parum de eo liquerit. Smallenburgio verba *Quintus Mucius* suspecta esse videbantur.

denique] Hal. *qui deinde.*

prefecere voluit] Hal. *voluit procedere.*

etiam Augustus] M. Vacar. *Augustus etiam*, quod vulgatae praestat, quodque edidit Beckius.

Ex his — frequentatur] Absunt a M. Vacar.

Benedictorum] Schroder Obs. I, 13. p. 87 legit *dictorum*, putans τὸ *bene* natum esse ex mala repetitione syllabae *ber* in voce praecedente *liber*. SMALLENBVRG.

frequentantur] Ita Haloandro duce cum Beckio pro vulg. *frequentatur* scripsi. Neque aliter Iuris civilis ecloga Paris. 1822.

§. 46.

Post hos etc.] M. Vacar. *Praeterea fuit quintus tubero . fuit autem patricius*, omissis iis, quae vulgo interponuntur.

hos] Hal. *hos.* Eodem modo Pal. III. Barb. Trevis. Bynkersh. II. Videlicet Graecorum Sigma quod in exemplari Florentino aliisque monumentis antiquioribus formam habet cum C. Romanorum communem, hic loco S videtur posita, quae observatio saepe usu venit. BRENKM. Idem statuit Metellus. Geb. *hoc* edidit: illud, iam a Mureto propositum, cum aliis nunc etiam Beck. et Kriegel. exhibui, inventum etiam a Clossio in Codd. suis tribus. Pro *hos quoque*, quod item Clossiani Codd. servant, Barb. *hosque.* Ceterum quaeri potest, an non ab extrema syllaba *que* Tuberonis praenomen *Q.* absorptum fuerit.

De Tuberone v. Ruperti Anim. III, 12 et Zimmern p. 300. Busse De Dionysii Hal. vita et ingenio, Berolini 1841, p. 25. Puchta T. I. p. 429.

transiit] Taur. *translit.*

optinuit] Cum aliis Kriegel. et Beck. *obtinuit,* et mox *Caius.*

Is est] M. Vacar. *is autem.*

haurire] Taur. *aurire,* ut ap. M. Vacar.

Exstat eius oratio etc.] Haec ad Ciceronem referenda esse, ex ipsa loquendi consuetudine Pomponii demonstravit Schneiderus l. l. p. 19. Atque M. Vacar. *et exstat* etc. Beck. *exstatque*, nescio unde.

satis] Abest ap. Hal. et Beck., immerito in suspicionem vocatum. V. Rupertum l. l. et Bynkersh. Praeterm.; v. praeter Smallenburgium p. 73. etiam ad §. 44: *perquam.* Budaeus *sane.*

Tubero] Praemittit de suo Beckius *et.*

sed et] Hactenus et auctoritate quidem Flor., ut putabatur, illorum loco vulgatum *et.* Controversam vero codicis scripturam esse monstravit Metellus, quem vide. In qua lectionis ambiguitate id, quamvis obloquente ibi Taurellio, optavimus quod consuetudini, qua Codicis librarii usi sunt, et ipsi sententiae magis convenire visum est. Ac conficitur res, si sumere licet, id quod per se valde probabile est, auctorem omnino non *sed,* sed *set* scribi voluisse.

Sermone — habentur] Absunt a M. Vacar.

etiam] Hal. et Cagnol. *tamen,* quod suscepit Beckius.

usus] Budaeus mutavit in *versus.* Bynkersh. mallet *antiqui usus.* BRENKM.

§. 47.

Ateius Capito] V. Ruperti Anim. III, 13. Zimmern p. 307. Puchta T. I. p. 432. et quae olim adnotavimus ad Laurentium Lyd. de cometis p. 22, cuius libelli editio, iam olim promissa, adhuc sub prelo Parisiis viginti amplius abhinc annis sudat. De variis Ateiis consulendus Schneiderus De Serv. Sulpicio I. p. 97. Ceterum constanter M. Vacar. *Anteius.*

Antistius Labeo] V. Rup. l. l. Smallenburg p. 77. Zimmern p. 306. ad Lydum p. 25. Iahn ad Persium p. LXXIII.

Merkel ad Ovidii Fast. p. LXXVI sq. Puchta T. I. p. 430. Quod sequitur *qui*, emendationi deberi, quum in Flor. *que* legatur, nunc docemur a Metello, quem cum Taurellio vide.

qui omnes — a Trebatio] Omittuntur a M. Vacar.

fuit] Abest ap. eundem.

suffectus] Taur. *sOffectus*. Sine idonea causa Bynkersh. Praeterm. offendit proposuitque legendum *suspectus*. Scriptura vocis per *o*, ut §. 1. *popolus*, §. 45. *Volosius* vitiosa quidem est, sed vestigia, ut opinor, ostendit sermonis ad vulgi consuetudinem delabentis, qua *u* in *o* mutatum seriori Italorum linguae sese immiscuit. Cuius unum testem affero titulum medio aevo conscriptum in Lerschii Centralmus. Rheinl. Inschriften III. p. 34, in quo *nomero* et *titolo* exstat, quod cave ex affectatione vetusti moris scriptum putes. Atque TETOLVM (titulum) alii ibid. p. 40, ubi vide editorem, et p. 42. 44. Eiusdem rationis est *consolatus* supra §. 26. a Metello ex Cod allatum, a Taurellio cum aliis eiusdem scripturae exemplis, ut credere licet, neglectum. Adde XXXV, 2, 30 *rorsus*.

fieret, honorem suscipere] Hal. *susciperet*. [Ita Bynkersh. MS. sine glossis.] Govean. I. Var. lect. 25 *ad fin.* legit *eum honorem suscipere*. [Ita Muretus quoque et Cocceius.] Sed τὸ *et* manifesta est repetitio ultimarum litterarum in proximo *fieret*. Immo punctum deletionis positum est supra e omisso altero supra *t*. BRENKM. Habet tamen illud etiam Barb. sed deest in S. Cruc. GEBAVER. Scilicet Geb. et Kriegel. ex Flor. *fieret et h. suscipere*, adiecta suspicionis nota. Cod. Regiomont. teste Dirksenio Beitr. p. 5. *fieret et honorem susciperet*. M. Vacar. *fieret* et *susciperet*, omissa copula, quam patet ex ultima syllaba praecedentis vocis *fieret* originem duxisse; quae corruptelae ratio quum alios innumeros locos vario modo vitiavit, tum etiam, quod obiter moneo, Gaii D. I, 2, ubi ex Flor. ad Kriegelios usque vulgatum *animadverto id perfectum esse, quod ex omnibus, suis partibus constaret. Et certe* etc. Legendum enim *constat*, id quod iam Haloander scripserat, pro *constaret*, cuius terminatio *et* ex mala geminatione insequentis copulae *et* nata est: quo factum ut levi mutatione *constat* abierit in *constaret*, quod nullo pacto ferri potest. Ceterum Mollerus, notante Smallenburgio, restitui locum putabat scribendo: *quo et suffectus fieret*.

plurimum] Vulg. *plurimam.*

Romae] In libro Flor. fuit *Romai*, quod retinuit Taurellius, etiamsi, teste Brenkmano, antique deletum sit. Huic inductioni puto tribuendum, quod ea vox in libris quibusdam desideretur, etiam in Mss. Campensi. BYNKERSH. Praeterm. Scilicet non integra vox, sed, teste Brenkmanno ap. Geb., in locum *i* substitutum fuit *e*.

dedit] Sic *[debere]* liquido Vacarius, Vix potest hic esse merus scribae error. Fortasse hic vestigia supersunt antiquae lectionis: *noluit* — *suscipere*, (ubi scriba vitiose addidit lit. *t*) *sed* (sc. *voluit*, cuiusmodi ellipses non sunt infrequentes) *plurimum studiis operam dedere*, pro quo male scriba *debere*. WENCKIVS ad M. Vacar. p. 112.

totum] Cod. II. M. Vacarii *tantum.*

mensibus] Hal. *menses.*

studiosis] M. Vacar. *studiis.*

Itaque — versantur] Omittuntur a M. Vacario.

quadringenta] Hal. *quadraginta*, ut Cod. quoque Regiomont. ap. Dirksen. Bynkersh. Mss. *XL.*

fuerant] M. Vacar *sunt.* Eiusdem Cod. II. *quae ei interdicta fuerunt.*

qualitate] Budaeus *facilitate*; Muretus *acritate.* Non opus esse correctione, post alios ostendit Dirksen. l. l.

qui et ceteris, operibus etc.] Hal. *doctrinae fretus, quod prae ceteris sapientiae [operam dederat]*. Vulg. *doctrinae qui et prae ceteris operis sapientiae.* Pal. I. et Bynkersh. II. exhibent *qui et prae ceteris operis et sapientiae op. d.* Similiter Trevis. praeterquam quod pro addititio *et* habet *etiam*, Vat. II. *quia* sistit pro *qui et*, et *sapientia* pro *sapientiae* posterius etiam Pal. III. praeterea in Taurin. IV. legitur *qui et ceteris operam sapientiae dederat.* In Barb. *qui prae ceteris operis sapientiae op. d.* Vat. I. III. Pal. IV. S. Cruc. et Magliab. Florentinam *[qui et ceteris operis sapientiae op. d.]* exhibent. Ex tot variantibus, si conflanda emendatior lectio, scriberem: *quia et prae ceteris sapientiae op. d.* BRENKM. Cum Flor. facit teste Dirksenio l. l. cod. Regiom., nisi quod *etenim* pro *et* habet, in quo certe *etiam* delitescere videtur. Porro cum Flor. consentiunt Clossii Codd. 1 et 2, nisi quod ille *sapientia*; et 3, sed is *in* pro *et* exhibens. Ut illud Brenkmanni commentum a mente auctoris

prorsus abludit, ita haud maioris pretii sunt quae reliqui excogitarunt, veluti Muretus *quia exceptis operis*, vel Budaeus *ut qui ceteris temporibus*, vel ipse Bynkershoekius *qui et in caeteris operam sapientiae dederat*, quod in Campensi Ms. ait se reperisse, quodque suscepit Beckius. Cuiacius vulgatam a se servatam ita interpretatus est: „ceteris partibus totius operis sapientiae, iuri scil. publico et privato, divino et humano, feciali, augurali, senatorio, flaminio, ut supra. De Ofilio, qui de iure civili plurimos libros reliquit, qui omnem partem operis fundarent, et de Q. Aelio Tuberone, complures eum utriusque operis libros reliquisse.“ In quibus ego tanti viri desidero acumen. Rectissime ad vim verborum et sententiarum nexum Bynkershoekius: „Labeonem etiam aliis, praeter iurisprudentiam, disciplinis fuisse eruditum, et hac quoque arte plurima innovasse.“ Quod ego reposui, non eleganter scriptum, quoniam et mihi cognatae vocis repetitio displicet (non ferenda vero eiusdem in contextu vulgato), sed tamen Latine, quandoquidem *opera sapientiae* eodem sensu accipi possunt, quo ipse Cicero de N. D. II, 22, 58 dixit: *quodque in operibus nostrarum artium manus efficiat, id multo artificiosius naturam efficere.* Idem de Scipione Africano Off. III, 1, 4: *nulla enim eius ingenii monumenta mandata litteris, nullum opus otii, nullum solitudinis munus exstat.* Rem conficit aliud eiusdem usus exemplum §. 46: *Tubero doctissimus quidem habitus est iuris publici et privati: et complures utriusque operis libros reliquit.* Adde, *operis* facile pro *operibus* a librariis scribi potuisse, quum terminatio *bus* simplice littera *B*, adiecto plerumque puncto, compendiose iam antiquissimis codd. exarata deprehendatur. V. Ind. siglarum ad Gaium litt. *b*. Eandem scribendi rationem ostendunt codex Vergilii Florentinus in quo v. c. MONTIB. et QUIB, et Neapolitanus rescriptus is, qui Digestorum particulas continet, teste Gauppio, qui primus in lucem edidit, p. 10, ubi exstat TRIBUNALIB. Ac posthac hanc coniecturam meam confirmatam vidi a M. Vacario, eandem scripturam exhibente.

Capitoni Masurius] Omittuntur a M. Vacario.

et ita] Deleta voluit Muretus.

Masurius] Vulgatum ex Flor. *Massurius* hic et infra. Susceptam scripturam, iam Haloandro probatam, unice, quantum sciam, agnoscunt monumenta inscripta. Item Gaius Inst. III, 183.

Postulat denique ipsa nominis prosodia: v. Persii V, 90. Plura dabit Smallenburgius p. 79. De Masurio, qui ab alio cognomine eiusdem fere aetatis distinguendus est, v. Ruperti Anim. III, 13, 2. Eckhardi Hermeneutica iuris ed. Walchii p. 277. Dirksen. Beitr. z. Kunde d. Röm. Rechts p. 21. sq. Kämmerer Beitr. z. Gesch. d. Röm. Rechts T. I. p. 195. Zimmern p. 237 et 312. sq. not. ad Apuleium de orthogr. p. 58. Puchta T. I. p. 439. Quorum virorum sententias controversas nunc examinare non vacat.

qui adhuc] Hal. *qui adhuc*, neque fere aliter in Mss. BRENKM. In Barb. puta et Trevis. attamen S. Cruc. ut Flor. GEBAVER. Bynkershoekius Praeterm: „Sensus erit planior et plenior, si, ut est in plurimis editionibus et duobus Mss. meis, ut et Campensi, legamus, *qui adhuc* et reliqua. Sine exemplo tamen non sunt eiusmodi abruptae locutiones.“ Vellem vel unum simile attulisset. Immo consuetudo auctoris relativum flagitat, nunc a me invito Flor. cum reliquis Edd. repositum in tanto ceterorum codicum consensu, quibuscum etiam faciunt M. Vacar. unus cod. Regimontanus Dirksenio laudatus et tres Clossiani, quorum unus tamen 2 *quod* pro *qui* exhibet.

dissensiones] Ex mero errore M. Vacar. *defensiones*.

Hic etiam] Absunt ap. Hal.

Nerva] V. Ruperti l. l. et Zimmern p. 315. Puchta T. I. p. 438.

Caesari] Hal. et M. Vacar. *Caesaris*.

respondit] Suscepi cum Beck. et Kriegel. pro vulg. *scripsit*, quam M. Vacar. tuetur. Illud firmat Metellus, quem vide, eodem fere argumento, quod Brenckmannus attulit. Hic enim: „Taur. inquit, in margine *respondit*. Videlicet hoc aliquanto post in margine adiectum, uncinulis ad τὸ *scripsit* ab eadem manu utrinque appositis, quibus pro more exemplaris Flor. id verbum a reliqua scriptura excluditur, hoc est, deletur, seu praetermittendum esse iudicatur. Vulg. fere habet *scripsit*, et defendit [cum Mureto] Bynkersh. *in Praeterm. h.*“ Item Mascovius de sect. Sabin. et Procul. cap. 2, 1. Cuiacius, probante Bacchovio, malebat *rescripsit*, et ita revera codex Bynkersh. sine glossis. Unice vera, quam revocavimus, ut par fuit, ipsius Florentini lectio, quae suscepta multum insuper confert ad vindicandam loci totius auctoritatem adversus Wuestemanni sententiam valde

speciosam, ad Theophil. T. I. p. 43. sq.: qui quidem non solum quae infra subiicerentur verba *ergo Sabino concessum est a Tit. C.* quam maxime languere censebat, sed etiam magis in ea sententiae discrepantia impegit, quae nasceretur, si respondendi concessio, quae Masurio infra a Tiberio data diceretur, pro eadem, quam supra ei Tiberius tribuisse diceretur, ut par esset, habenda esset: scribendi enim officium multo aliud esse ac respondendi, quandoquidem illud in eo constitisset, ut scriberentur aliis in usum forensem libelli. Quibus potissimum argumentis Wuestemannus adductus est, ut verba *Et, ut obiter sciamus* usque ad *se praepararet* a Compilatoribus intrusa esse statueret, cuius facti indicium praeberet ipsa phrasis *et ut obiter sciamus*, atque Pomponium ipsum hoc modo scripsisse: *Massurius Sabinus ... publice primus scripsit; posteaque* (vel potius *posteaquam*) *hoc coepit beneficium dari a Tiberio, hoc tamen illi concessum est (a Tiberio Caesare) ut populo responderet.* Ingeniose quidem haec a viro sagacissimo excogitata sunt, quam autem vere, statim videbimus. Primum enim scrupulus ille de discrepantia sententiae omnis nullus videtur: non potest enim de isto scribendi munere vel officio cogitari, quoniam si quidem revera eo iurisconsulti publica ex auctoritate functi sunt, id quod adhuc non demonstratum est, eius hoc loco nulla mentio fieri potuit, aut si tamen facienda fuit, enucleatius id fieri oportuit. Ac Zimmernius p. 203 *scripsit*, quam lectionem etiamnum secutus est, non alio quam sensu respondendi accipi posse contendit. Deinde sententiam loci a Pomponio Wuestemanni de coniectura p. 45 constituti cum ipsis verbis minime concordare, attente comparanti patebit: praeterea ea ipsa loci sententia, qualem exposuit Wuestemannus, ut Sabinus quum antea libellos publice scribendi iure usus esset, posteaquam id a Tiberio pro beneficio concedi coeptum esset, respondendi tantum ius consecutus diceretur, hoc in se mirum, ut non dicam ineptum, habet quod respondendi ius quum in beneficio a Tiberio dari potuisset, altero scribendi sine dubio multo praestantius, Masurio a Tiberio non concessum fuerit. Addo quod in Wuestemanni lectione nemo non possit in repetitis mox verbis *qui in equestri ordine* offendere: quae, si sequamur Wuestemannum, inepte, sin vulgatam, optime habent, quandoquidem orationem longa parenthesi interceptam auctor dextre his recipit: qua de caussa et illud ipsum *ergo* initio

scripsisse videtur, quippe quo ad superiorem sententiam se iam redire significaret. Immo ut vim eorum, quae de Masurio refert Pomponius, comprehendam: respondendi ius — nam de hoc solo agitur — quod tribuendi iam Augustus sibi arrogaverat, id Masurio a Tiberio antecessoris sui vestigia sequente antea concessum fuit, quam coepisset pro beneficio petituris a Tiberio dari. Verba enim *et ex illo tempore peti hoc pro beneficio coepit* non tam ad Augusti, quam potius ad Tiberii tempora spectant. Hanc ipsam ob caussam Pomponius *concessum erat*, non *concessum fuit*. Ceterum de re ipsa deque variis virorum doctorum de ea sententiis prolixe disseruit Zimmern. p. 196. sq. et nuper post Blumium Puchta Mus. Rhen. iurisprud. T. VI, 1, Pomponii loco hoc in examen vocato maxime p. 91. sq.

posteaque etc.] Hal. *postquam hoc beneficium cepit a Tyberio Caesare.* Muretus: *Posteaquam hoc coepit beneficium dari. A Tiberio enim Caesare hoc tum illi concessum erat.* Florentinam lectionem praestat et cod. Regimont. teste Dirksenio l. l. p. 6.

tamen] *tm* Cod. II. IV, quod videtur esse *tantum*, quae vox huic loco longe aptior quam *tamen*. Nam videtur hoc velle Pomponius, solum Masurium per aliquod tempus auctoritate publica de iure respondisse. Veruntamen in Cod. Vacarii est *tm*, in Cod. IV *tam*, unde origo certe erroris clarissima. WENCKIVS ad Vacar. p. 113. Quod iam perspexerat Smallenburgius p. 79, qui eandem lectionem coniectando assecutus, his interpretatus est: „beneficium publice respondendi a Tiberio primum impetrasse Sabinum, deinde etiam aliis ab Imp. esse concessum.“ Sed desidero exemplum vocis *tantum* praepositae. Verba *hoc tamen illi concessum erat* Beckius uncis inclusit.

publice] Ex superioribus male hic ap. M. Vacar. repetuntur *p̊ scripsit posteaque.*

non a principibus] M. Vacar. *principibus non*, male omissa praepositione.

a principibus] Non sine iusta caussa plerique hic offenderunt. Hoc si scripsit Pomponius, quod tamen ab imperito facile adiectum putari possit, intelligendi sunt principes civitatis in re publica ad finem vergente.

fiduciam] M. Vacar. praeponit *per.*

ipsi] Hal. *ipsis*, ut Cod. III M. Vacarii: suscepit Beckius.

qui illos] An iudices, an vero partes testabantur? alterutri sane iuris doctores consulebant. Opinor, neutri, nam iudices, ut de iure fierent certiores, eos adibant, et testimoniis partium nemo tuto fideret. Intelligo hoc de testationibus ipsorum Ictorum, et propterea lego *testabantur*, de iure videlicet, *quos illi consulebant*, non *qui illos*. BYNKERSH. Ceteri de hoc loco silent praeter Muretum, qui *testabantur* interpretatus est *testes faciebant*, merito a Bynkersh. castigatus. Nihil mutandum. Subiectum verbi *testabantur* est *ii* ex *qui* mente repetendum, hoc sensu: responsa, quae qui prudentes consuluissent, ad iudices deferrent, ab illis reapse edita esse, testimonii alicuius auctoritate firmabant.

consulebant] Hal. *consulueranl.*

Primus] M. Vacar. *primum.*

maior iuris auctoritas] Ms. Bynkersh. sine glossis *maioris auctoritatis*, omisso *iuris*.

constituit] M. Vacar. *instituit*, fortasse verius, idem censente Wenckio.

responderent] M. Vacar. *responderetur*, omissa continuo sequente copula *et*.

Et ideo] Smallenburgius p. 81: „suspecta mihi sunt verba *et ideo*, quae parum idoneum sensum habent. Haud scio an ea, aberrante Librario, huc relata sint ex sequentibus.“

optimus] Idem *primus*.

viri praetorii] Muretus *iurisperiti*. Corrasius *viri periti*. Omittit *viri* M. Vacar.

respondere] M. Vacar. *reddere*.

si quis fiduciam etc.] Beckius: *delectari se, si, qui fiduciam sui haberet, populo* etc. nescio qua auctoritate.

fiduciam] Abest ap. M. Vacarium.

populo] Omittit cod. Regimont. teste Dirksenio l. l.

responderet] Hic desinit M. Vacarius, subiungens *Explicit prologus*.

qui in equestri ordine etc.] Hal. *cum in equestrem ordinem* et mox *receptus esset:* qua correctione opus non esse, recte monuit Dirksenius l. l.

Gaius] Kriegel. cum aliis *Caius*. De Cassio Longino inprimis consulendi Zimmern. p. 316 et Puchta Institutionen T. I. p. 440.

Servium] Operarum errore *Servum* Beckius.

appellat] Hal. *appellavit.*

Hic] Hal. *is et.*

Surdino] Valde sollicitatur hoc nomen [*Quartino*, ut ad Kriegelios usque vulgatum] emendationibus, sed frustra. Vide Bynkersh. in *Praeterm. h.* BRENKM. Nihil vero Bynkersh. attulit, quo virorum doctorum dubitatio de consulatu Quartini cum C. Longino gesto tollatur. Immo nemodum Quartinum consulem monstrare potuit: contra Longini in consulatu collegam L. Naevium Surdinum testatur lapis Grut. p. 1087. Quod optime, idem sentiente Norisio Epist. consul., ostendit pluribus Rupertus Anim. III, 13, 3, cui eo lubentius in reponendo Surdini nomine obsecutus sum, quo proclivior ex *Quartino* in *Surdino* lapsus fuit. Ceterum Cuspinianus suspicabatur *Q. Haterio;* Regimontanus, teste Dirksenio l. l., *Quinto.* Alios, qui de hoc loco disputarunt, laudat Smallenburgius.

is et] *Sed*, quod istorum loco hactenus vulgatum, sententiam turbat. Iam patefacta per ipsum Taurellium adversus Metellum, quem vide, ad verum ducente, quamvis ipsa manifeste vitiosa, Flor. scriptura rescripsimus id quod ex ea sponte prodire visum, quodque ex Hal. et codicis Regimontani lectione *isque* luculenter firmatur. Unus Beckius *et.*

eousque] Abest ap. Hal. Regimont. *quousque.*

civitate] Cod. Regimont. Dirksenii l. l. *de civitate.*

pelleret] Hal. *expelleret.*

diem suum obiit] Rarissima phrasis, qua tamen praeter Papinianum D. XXVIII, 6, 41, 7 etiam Servius Sulpicius in Cic. Ep. ad fam. IV, 12 usus est.

Proculus] V. Smallenburg. p. 82. Zimmern. p. 316. Puchta T. I. p. 440. Idem, ni fallor, Proculus, qui iurisconsulti nomine laudatur in Testamento Dasumiano.

eodem] Hal. *eo*, quod praestat cod. Regim. ap. Dirksen. l. l.

Nerva filius] V. Zimmern p. 318.

Longinus] De hoc nihil liquet.

Proculi auctoritas maior] Cod. Regimont. *Proculus auctoritate maior.*

etiam] Hal. *et ipse.*

Proculiani] Non mihi temperare potui quo minus scriberem eam huius nominis formam, quae unice Latina est, sive longo errore, sive incuria oblitteratam, olim iam ab. Hal. repositam, nunc etiam in cod. Regim. teste Dirksenio l. l. repertam. Ut enim a *Proculeius* fit *Proculeianus*, ita a *Proculus* necessario *Proculianus*, quod nomen alterum haud minus frequens in titulis est. In hoc vero iurisconsulti, unde Proculiani sive Proculeiani dicti, nomine testes conveniunt omnes. Sed auctoritatem cum maxime Cuiacii, non *Proculiani*, sed *Proculeiani* allatis Ulpiani libro singulari regularum tit. 2 et Institutionibus Iustiniani scribendum praecipientis, secuti *Proculeiani* plurimi exhibuerant inconsiderate, recte nunc proscriptum a Kaemmerero et Dirksenio. V. Zimmern. p. 238. Neque aliter nunc vulgatum a Boeckingio in Ulpiano p. 34, de tutela, ed. 2: neque ut altera reponatur in Inst. II., 1, 25 forma, ipsi codices suadent, quibus Schraderus si opposuit, apud Iustinianum certe vulgatam lectionem, id est *Proculeiani*, genuinam videri, quibus argumentis id demonstrari possit, velim edoceri, dum sermonis Latini ratio et usus, ut dixi, alteri formae unice favent. V. Dirksen. Beitr. p. 20. Adde, si Compilatoribus, qui dicuntur, in conformando contextu, multum pro laboris ipsorum ratione concessum fuit licentiae, id tamen numquam tale fuisse posse, ut propria ipsa nomina ex arbitrio immutando, nisi plane insipiissent, ipsam rerum traditarum famam obscurare sibi datum putarent. Tot verbis in re manifesta non opus fuisset, nisi hodienum vel etiam iuris civilis peritissimos in scriptura nominis fluctuare viderem. Ac cum Geb. etiam Beck. et Kriegel. *Proculeiani* retinuerunt.

Caelius Sabinus] V. Zimmern. p. 321. sq. Puchta T. I. p. 441.

Vespasiani] Taur. hic et paulo post habet *Vespassiani*. Sed et supra habet *Vespassiano*, ubi Brenkm. in exemplo typis destinato alterum *s* delevit. GEBAVER. Talia notanda propter eos, qui in refingendo Digestorum contextu nihil citra fidem Florentini auderi licere contendunt.

Pegasus] V. Smallenburg. p. 82. Zimmern. p. 321. sq. Puchta l. l.

Priscus Iabolenus] V. Ruperti Anim. III, 13, 4. Zimmern p. 326. Puchta l. l. Multum est quaesitum a VV. DD. de origine nominis *Iavolenus*, in quibus Salmasius id quod in codice

Palatino esset *Diabolenus*, malebat, quippe a διαβολὴ derivandum. V. Rupertum l. l. Hoc mitto ob auctoritatem inscriptionum susceptam ex codd. nominis scripturam satis tuentium. Sed in triviali illa litt. *v* et *b* confusione sane quaerendum, utra nominis forma praestet, *Iavolenus*, an *Iabolenus*. Hanc, ut quae propter originem nominis Graecam vix dubiam antiquius aevum redoleat, exhibet inscriptio minime recens Gruteri p. 48, 9, dum contra alia p. 978, 12, quae certe ante Traianum imp. incisa non est, IAVOLENVS suppeditat. Quod temporis discrimen cum ea fere notatione convenit, quam de toto harum litterarum usu, vel abusu statui, Disp. de tabula patronatus p. 16. Itaque quum Iabolenus primo post Chr. saeculo natus fuerit, quo illa permutatio litterarum vix iam locum habuit, maxime probabile est, sua ipsum aetate *Iabolenum* appellatum esse, quam nominis formam se minime damnare ait Gesnerus ad Plinii Ep. VI, 15, 2: cuius in locum posteriore aevo *Iavolenus* substitutum est. Iam quum vix veri videatur simile, Pomponium in scribendo antiquo nomine abusum aevi ipsius suum fecisse, non cunctatus sum, vel invitis librariis Florentinis, qui et hic et ceteris Digesterum locis *Iavolenus* scripserunt, probantibus ad hunc ipsum diem editoribus tantum non omnibus, antiquam formam *Iabolenus* eo maiore fiducia reponere, quo crebrioribus eius generis vitiis Florentinum laborare constat. Eandem Hal. et Vulg.

Celsus] Hal. *Celsus pater*, quod suscepit Beckius, citra necessitatem. V. Dirksen. l. l. p. 7. De Celsis v. Ruperti Anim. III, 13, 4 et Zimmern. p. 322. 323. sq. Puchta T. I. p. 442.

Priscus Neratius] V. Zimmern p. 323 et 325. Puchta T. I. p. 443. In Cuiacii contextu ed. Uhlig. est *Nervatius*, fortasse operarum lapsu. Frequens mentio eius in Fragm. Vatic. fit: quos locos Zimmernius neglexit.

Celsus quidem et iterum; Iaboleno] Hal. *Celso quidem et iterum Iaboleno*. Post *iterum* inserit *consul fuit* cod. Regim. ap. Dirksen l. l., de auctoritate Haloandrinae lectionis merito dubitantem.

Aburius] Scribitur varie, *Aburnus*, *Aburnius* [ita Hal.] *Alburnius*, [ita cod. Regimont.] *Aburbinius* et *Eburnius* [ita Vulg.] sequor primam eandemque Florentinam scripturam [*Aburnus*, quod cum Geb. et Beckius et Kriegelii retinuerunt]. Crediderim autem eiusdem nominis fuisse temporibus Theodosii,

quem memorat Symmachus L. VI Epist. 7 et 20, quamquam ibi legatur *Taburnius* et *Taburnus*, corrupta forte scriptura ex *T. Aburnò*... Hunc vero, cuius Pomponius meminit, Aburnum vel Aburnium non fecero eundem cum illo, ad quem Plinius scripsit epistolam 14 libri IV, quamvis ita sederit Bertrando et aliis, sed rationes, quae plurimae me movent, non exsequor, unam ex his etiam dixit Guilelmus Grotius. BYNKERS. Praeterm. Sed ex Plinio illud nomen dudum expulsum, ita ut quum Symmachi scriptura et ipsa perincerta sit, de exemplo indubio ante omnia quaerendum sit, in qua opera labor omnis meus frustra fuit quantum ad *Aburnus*: nam *Aburnium* praestat lapis Grut. p. 23, 4. Hoc nomen Pomponio vindicantem non reprehenderem, immo ipse vindicassem, nisi in elementis scripturae Flor. planius *Aburius* latere visum esset. Hoc vero familiae Romanae nomen ex Livio notum, sat multi firmant tituli Gruteri et Muratorii, atque etiam nummi: v. Eckhel Doctr. num. T. V. p. 117. *Aburnius* ut reciperetur commendasse videtur Smedingius, quandoquidem id ex commentationis Lugd. Bat. 1814 vulgatae, qua de hoc iurisconsulto egit, inscriptione *De Salvio Aburnio Valente eiusque quae in Dig. adsunt fragmentis* concludere fas est: quam commentationem mihi de hoc Pomponii loco scribenti ad manum non esse, non possum satis dolere. Quod idem V. D. adiicit *Salvii* nomen, id sine dubio sumptum tum ex Digestorum loco, quo teste Ulpiano Antoninus Pius Salvio Valenti rescripsisse fertur, tum ex Capitolino, ubi Vita Ant. P. c. 12. leguntur: *Multa de iure sanxit, ususque est iuris peritis Vinidio Vero, Salvio Valente, Volusio Metiano, Ulpio Marcello et Iaboleno.* Qui ibi memoratur Salvius Valens an cum nostro, ut putatur, idem sit, in medio mihi quidem relinquendum videtur. In transcursu vero notandum, nomen eius, qui primo scribitur, vitiosa niti lectione. Quum enim VV. DD. in *Vinidio*, uti Casaubono duce a Schrevelio vulgatum, Vindium iuris consultum eum sibi deprehendisse visi sint, cuius mentio apud Ulpianum D. II, 14, 7, 17, Paulum D. II, 9, 2 et Maecianum D. XXXV, 2, 32, 4, facta est, hoc quidem concedatur necesse est, eandem personam utique intelligendam esse, quum praesertim Maecianus *nostrum* Vindium appellet, ipsius aequalis: sed si in locum Vinidii *Vendii* nomen Capitolino vindicatum eunt, id non antea recte factum concedam quam aliis exemplis eius nominis fidem firmaverint. Nam illis Digestorum locis, quibus addendum Vat. fragm. §. 77 (p. 23

ed. Maii), exceptis, nomen in litteris Latinis inauditum, nullo scriptoris cuiusquam, nullo monumenti inscripti loco corroboratum. Unum *Vindae*, ut et *Vinlae* mulieris nomen aliquot lapides exhibent. Praeterea *Vindia* est urbs Galatiae, in Itin. Antonin. et Ptolem. memorata, originis incertae. Valde igitur suspectum *Vindii* nomen in Digestorum et Fragm. Vatic. locis, neque magis sincerum videtur, quod eius loco ex Capitolino restitui quidam voluerunt *Vinidii* nomen, quandoquidem et hoc auctoritate caret, nisi in *Venidius* commutemus, quod nomen exstat ap. Grut. p. 72, 2. Igitur commutemus. Sed lectionem ap. Capitolinum ad antiquae scripturae normam accuratius exigenti vix potest dubium relinqui, quin in *Unudio* potius lateat *Umidio*, quam nominis formam etiam ceteris locis sine magno negotio restitueris: ita ut iam Umidius hic ex ea Umidiorum familia ortus putetur, cuius plures Hadriani et Antoninorum aevo inclaruisse constat. V. nobis notata in Iahnii Jahrb. 1830. Vol. XII. p. 10. sq., collato Ottone Thes. iuris T. I. p. 26. Ceterum de Vindio dixit Zimmern. p. 353.

Tuscianus] Cod. Regim. ap. Dirksen Beitr. p. 7 *Tuscianus*. Malebat *Maecianus*, ex Capitolino, Menagius Amoen. iur. civ. c. 5. Praeter Ruperti Anim. III, 13, 4 v. de hoc nomine non sollicitando (v. Grut. p. 164, 4) Zimmern p. 334.

Salvius Iulianus] V. Rupert. l. l. Zimmern p. 335. Puchta T. I. p. 444. Cod. Regim. *et* interponit.

PARERGORUM

CRITICORUM

MANTISSA.

I.

Metelli

observationes ad Pandectas Florentinos cum adnotatione Taurellii ex cod. Gissensi descriptae *).

In quibus dissentiam ab editione Florentina, in primo Pandectarum ternione; quem solum tantum vidi.

Lib. I.

T. I. C. I. Iustitiam namque colimus; et
praemiorum* quoque* exhortatione **)
in magistratibus consistit [At in Pandectis est constitit.] ***)
collectum est enim ex) Frustra enim repetitur verbum est in P. F. peccandi consuetudine. [Editio habet ut est in Pandectis, etenim est ex, quae lectio optima.]
C. III. propolsemus [Sed aptatum ab ipso scriptore propul.]
C. V. Epitomarum
C. IX. vocaturque IVS CIVILE) Deinde vocaturque IVS GENTIVM

---

*) V. Praefationem.

**) Significare vult, suspectum sibi videri *quoque*.

***) Iam Hal. *consistit*, quod ipsa loci ratio postulat et usus Ulpiani in ceteris verborum temporibus sibi constans firmat. Quam terminationum confusionem etiam alibi in Mss. memini me observare. V. infra ad Tit. V. C. IV.

C. X. suum Quique *) tribuere) Inepte enim scriptor quispiam in P. F. delevit Q. [Non ab ipso scriptore ita aptatum et paulo superius scriptum est cuique; et profecto ubi huiusmodi obsoleta vitare potuimus, accedente vetere scriptura vel aptatione libenter fecimus.]

T. II. C. I. potentissima pars [Hoc est ita aptatum, ubi prius erat potissima **); cui lectioni non est cur sit repugnandum.]

C. II. Superbus Demarati [Sed nos accipimus pro adpellativo, nam Superbus non fuit Demarati filius.]

2. consuetudine aliqua uti, quam) Videtur enim repetitio syllabarum de scriptoris more perperam omissa, ut alias saepissime. [Prior lectio erat aliquam; nec immutavimus.]

pro rostris

possInt apertius) Est enim I pro E, de more. [Hoc vetamus, cum fieri potest; at hoc natura sua possint suum sensum habet.]

ex accidenti appellatae) Est enim A ex consuetudine scriptoris mihi suspectum, prius scil. [Sed quid repugnat, cur non recte stet accidentia?]

3. prudentium auctoritatem necessariam esse disputatione fori.) Propter similitudinem litterarum M et N verisimile est, ut aliis locis plurimis, in auctoritatem, omissum fuisse M. In emendandis enim scriptoris erroribus consideranda plurimique facienda videtur peccandi a scriptore consuetudo, in his libris maxime; quos constat Graecorum more, in verborum finibus M abiecisse, quod Graecis nullum verbum M terminetur: et item ex geminatis syllabis, vel litteris, vel praesertim vocalibus, ut apostropho Graeci, alteram dempsisse; assueti nimirum Graecae pronuntiationi et consuetudini: quod sexcentis horum librorum locis constat. [Iam hoc et nos animadvertimus. ***)

---

*) Vulgatum *cuique*.

**) Id suscepit Taurellius.

***) Adscripta haec sunt initio huius observationis. Ceterum Pandectarum scribam fuisse natione Graecum, Zachariae demonstrare studet Reise in dem Orient p. 49.

appellatur IVS CIVILE.

ne populus prout vellet, instituêre certas; sollemnesque esse voluerunt.) Suppletur instituëret verbum. Aut sic distinguendum, prout vellet instituere, certas sollemnesque: ut suppletum verbum posset, sit, Graeco dicendi genere. [Durissimum dicendi genus.]

haec pars iuris, LEGIS ACTIONES.

4. Cnaeus et Caius, vetustis saxis semper; nisi quae post Theodosii saeculum excisa sunt. [Hoc esset immutare perpetuum librarii morem.] *)

fuit ideMunus.) Alterum M omissum, ex more. [Potius e abundabat, ideo deletum antiquitus.]

quia dErant] Alterum E item praetermissum. [Immo ab ipso scriptore superadditum, quod aperte dinoscitur.]

5. quae iura PLEBISCITA vocantur.) ut loco duorum S sit. [Nihil repugnat ordinariae scripturae plebiscita.]

species constituendi interresset **) [Hoc nullo pacto; nam est in Pandectis interessent per r simplex.]

appellabatur SENATVSCONSVLTVM.

7. vias transisse) Sic in P. F. [Hoc adnotavimus.]

8. POST originem) maiusculis, ut principium legis. Est enim alterum caput eorum quae tractantur.

9. et Tribunum Celerum

reipublicae consolerent. qui aTamen) ut sit unum T pro duobus scriptoris more. [Ab ipso scriptore aptatum u deleta o.] ***)

10. Censores constituti . et supra proxime et Consules . maiusculis litteris prioribus, ut reliqui.

11. itaque Dictatores

et his Dictatoribus Magistri Equitum sic quomodo Regibus Tribuni Celerum

---

*) V. ad Pompon. §. 7.

**) *Interesset*, quod Pomponio restitui, an revera in Flor. exstet, ideo affirmare nolim, quoniam eius lectionis Taurellius nullam rationem habet: immo *interessent* denuo commemorat.

***) Spectant ad v. *consolerent*. De prava hac vocalium *u* et *o* confusione, quam Taurellius ad Metellum iam T. I. C. I. in *propolsemus* notavit, v. ad Pompon. §. 46. *suffectus*.

Praefectorum Praetorio) Officiorum civilium magistratus et militarium, maiusculis scribendi; semper.

12. post Reges exactos: Tribunos sibi in monte Sacro creavit, qui essent plebei. hi magistratus dicti Tribuni) H littera in hi in P. F. omissa Graecorum imitatione, ut alias saepe: sed inter versus deinde fuit addita. [Sed recens. At quid repugnat editae scriptioni, id est Pandectarum gr...] *)

Aediles appellati sunt

Quaestores, qui

propterea Quaestores

Quaestores Parricidii

14. quo Decemviri

arrecto cultro) Ita in P. F. hoc est, elevato ad infligendum vulnus, et caedendum.

15. Tribuni Militum crearentur

Aediles Curules

16. Cumque Consules abocarentur bellis finitumis) Vetustis saxis et libris finitumus, ut hic quod perperam scriptor emendavit. [In Pandectis erat finitiumis, et u superexpuncta est antiquitus, ut sit pro deleta, et relictum finitimis.]

ut Praetor

qui Vrbanus

eo Praetore

alius Praetor, qui Peregrinus

17. Decemviri stlitibus iudicandis.) Est enim is magistratus ita semper scriptus in vetustis saxis: quem Graecos ignorantia corrupisse facile crediderim, et cum ST putarent abundare, scripsisse IN litibus. Est enim duriuscula locutio, Decemviros in litibus iudicandis constitui. Sed cum salva sit sententia ex lectione Pandectarum, hoc tu, credo, non feres. [Imago huius rei videtur adumbrata in quodam vetere codice Digestorum manuscripto, ubi est, Xviri Syllitibus.]

et Quattuorviri, q. c. u. gEREnt) ut casibVSa. **)

---

*) Extremam vocem legere nequeo.

**) Non intelligo, nisi voluit *casibus usa.*

et Triumviri Monetales airis [Si ista scriptura fuisset in Pandectis, reliquissemus ut l. 25 Romai; sed hic erat auris], argenti, auri flatores:) Scriptor quidam recens inepte emendavit aeris. Est enim antiqua diphthongus ut apud Virg. Aulai in medio *). Saxis frequens, ut Caisar et huiusmodi. Creber est in numis Triumvirorum qui hic notantur titulus, et ipsis etiam marmoribus **). Vidi aliquot Augusti nomismata aerea, in quorum aversa parte notis magistratus indicatur. Inter alia, tale: C. GALLIVS. LVPERCVS. III. VIR. A. A. A. F. F. ***) et huiusmodi M. SALVIVS. OTHO. III. VIR. A. A. A. F. F. ****) et aliud M. M. AELIVS. IVLIVS. III. VIR. A. A. A. F. F. †) hoc est Marci, duo enim sunt, qui scribuntur, Aelius et Iulius. Tiburi vero ad pontem Lucanum est sepulcrum vetustissimum, ex quadrato lapide Tiburtino, rotunda amplioreque mole; in quo inserta est marmorea tabella, elegans admodum et prolixa, hoc initio ††): TI. PLAVTIO. M. F. SILVANO. AELIAN..... PONTIF. SODALI. AVG. III. VIR. A. A. A. F. F. Q. TI. CAESARIS et cetera. Notus quoque in his Triumviris, qui Treviri etiam dicebantur, ad Trebatium lib. VII. Famil. locus. Sic enim inquit †††): Sed ut ego quoque te aliquid de nostris cautionibus admoneam, Treviros vites censeo: audio capitales esse: mallem auro, argento, aere essent. Sunt enim Treviri Germaniae populi Gallis finitimi, quicum Caesar bellum gerebat. Erat autem cum Caesare

*) Non desunt eius genitivi antiqui vestigia in monumentis recentioris aetatis, veluti *nepai* in Epigrammatis duobus commemoratis ad Cic. Rep. I, 18. p. 73. et APPIAI in inscriptione non valde antiqua in Avellino Bull. archeol. Napol. T. I. p. 136, sed minime huc trahenda.

**) V. Eckhel. Doctr. num. T. I. p. LXXIX.

***) Idem Tom V. p. 223.

****) Idem p. 299.

†) Non reperio ap. Eckhel.; sed exhibet numus p. 120. Q. Aelium Lamiam IIIVIR. A. A. A. F. F.

††) Integram inscriptionem Metellus sub finem adiecit, ubi v. not.

†††) Cic. ad fam. VII, 13 extr., ubi v. Cortium.

Trebatius, qui Caesaris victoria ditescere poterat, et oppresso Caesare periclitari a viris bellicosissimis, vel etiam in ipso bello, vincente Caesare. Mallet igitur Triumviros monetales, de quibus agitur, quam capitales. Erant enim et Capitales Triumviri Romae; et Capitales, hoc est, infestos Treviros iocatur.

et Triumviri CapitalIs.) I pro E ex more [Facta e ex i ab ipso scriptore.]

possInt.] I pro E, ut proxime. [Sed et recte possint manere potest.]

18. totidem Praetores

Praetores quattuor

duos Praetores, et duos Aediles

PraetoreSex Aediles.) Vnum S pro duobus. [Additur alterum ab ipso scriptore: et huiusmodi scabra et insueta vitavimus ubicunque aliquo auxilio accedente fieri potuit.

Praetores constituit

duos Praetores

Praetores in

Praefectus Vrbi. qui Praef.

Praefectus Annonae, et Vigilum

Aediles Senatus consulto

Tribuni plebis, Consules duo

Praetores, sex Aediles

19. IVRIS) maiusculis exscribendum, tanquam legis principium. Est enim tertium rerum, quae tractantur praecipuumque caput.

R̄ litteram.) ita in P. F. lineola suprascripta, quod materialiter, ut vulgo loquimur, hic ponatur.

maxsimae scientiae) Vetustis saxis et libris: quare non erat repudianda orthographia, ex inversione litterarum in P. F. ubi masximae est. [Hic habemus inversam, supra saepe maxim. hoc isto in loco.]

in Sacra via

20. Consules

Tripertita

deinde subtexitur. [Nihil repugnat primae scripturae dein.] *)

---

*) Igitur quod primo in Flor. *dein* vitiose scriptum fuit, posthac

21. Praetorius, supra proxime Consulares f.
Pontifex Maximus
Consul, et Asiae Proconsul
22. Pontifex Maximus
ut ad ea omnes appetant) Est enim inauditum Latinis ea ad, pro ad ea. Existimarim, relictum perperam transpositionis signum hoc, ea ad, ut aliquot locis negligentia commissum animadverti. Aut certe syllabam scriptoris solito vitio geminatam, ex verbo adpetant. Nec enim eos audio, qui hisce libris errata perquam multa non inesse negant. Nec tam superstitiosus esse cupiam, ut quaedam non immutem. [Non video cur magis velle debeamus ad ea omnes quam ea ad omnes, et ad iungatur et praeponatur ille dictioni omnes, non et postponatur dictioni ea.]
23. de iure servi parum intellexiSet) Ita in P. F. et recte sensus constat. Quare non mutassem. [Sed quid est de iure servi? Hic generaliter loquitur, de iure respondisse et illum statim ius ignorare. Est addita altera s antiquissime.]
Patricio et
Servius tractus,) Est enim perperam dispunctum verbum tractatus in P. F. ita ut tractus efficere voluisse videatur. Stat et tactus. Sed nec tractatus omnino non placet. Videtur tamen tractus melius. [Hoc erit immutare ad libitum.]
pro rostris
Alfenus, Varius Gaius, [Hoc modo facimus duodecim prudentes, cum explicite Pomponius decem tantum enumeret. Ex his decem inquit etc.]
Gaius Ateius, Pacubius,
AntistI pater,) VItimum I in P. F. dispunctum recte, antiquitatis caussa. [Quid est cur non Antistii?]
Cinna Publicius, Gellius.) Fortasse, Cinna Publius Gellius, ut sit P. Gellius Cinna. Eleganter enim cognomina praenominibus et nominibus praeponuntur, ut hoc capite vide-

---

in *deinde* curis secundis mutatum est. Quam lectionem nemodum attulit.

mus, et apud Ciceronem saepe; ut etiam proxime, Varus Gaius.

Alfenus, Varus, et

et Consul fuit:

Caesaris familiarissimus) Perperam scriptor S dispunxit.

et libros de iure civilei plurimos,) Ineptissime scriptor in civilei E dispunxit. Est enim antiquissima orthographia. Sic in fastis Cos. quos ad te misi, saepissime, et infinitis saxis haec antiqua diphthongus: ut, de Galleis, de Lusitaneis. Non procul a Reate, prope Quintilianum viculum, in vetusto muro, donum Herculi datum, quod omnium bonorum decima ei vovebatur, ut Plutarchi problemate liquet. Vovit autem id Lucius Mumius, de quo Cic. Part. V et offic. II et Flor. lib. LII. Sic autem habet inscriptio, litteris antiquissimis, sed fere corrosis. *)

SANCTE
DE DECVMA VICTOR TIBEI LVCIVS MVMIVS DONVM
MORIBVS ANTIQVEIS PRO VSVRA HOC DARE SESE
VISVM ANIMO SUO· PERFECIT TVA PACE ROGANS TE
COGENDEI DISSOLVENDEI TV VT FACILIA FAXEIS
PERFICIAS DECVMAM VT FACIAT VERAE RATIONIS
PROQ. HOC ATQVE ALIEIS DONIS DES DIGNA MERENTI

primus conscribsit,) omissum S videtur in P. F. incuria scriptoris.

Praetoris

24. Quaestorius

Consulatum

25. Post hos quoque.) Est enim sic scriptum hoc. Utitur autem scriptor littera C pro S quod Graece sigma, forma

---

*) Grut. p. 96, 7. et Murat. p. 96, 1, apographa exhibuit Orellius 1862. T. I. p. 337, hac varietate: Vs. 1. Grut. SANCO FIDIO SEMOPATRI, quae ex aliis titulis suppleta videntur. Vs. 2. tertia littera in MVMIVS admodum dubia: nam MVNIVS etiam Murat., tametsi illa scriptura unice vera sit, quum praesertim *Munius* ne nomen quidem sit Romanum. Ceterum in alio titulo Orellii 563. p. 151, ut vulgo, MVMMIVS. Vs. 5 post COGENDEI ceteri addunt AC et habent mox FAXSEIS. Iidem vs. 7. PROQVE.

C Latini scribat; ut nonnullis locis animadverti. Quare scribendum erat hos, vel hoC. [Erit magna immutatio a litteris latinis ad graecas.]

Patricius

sET privati:) ut sit, set et, id est sed et, propter geminationem, altero quidem et omisso. Vix enim multis locis habeo fidem emendatoribus P. F. qui multi, et diverso, ut apparet, saeculo fuerunt *). Quidam multa recte corrigunt; quidam pauca; nonnulli multa corruperunt. Quare distinguendi sunt. Passae sunt enim multorum manus, emendationes illae. [Hic est Ṡ superexpuncta antiquissime, et minor est in hoc immutatio quam in sET.]

26. et Antistius. Labeoque. [Potius more solito e pro i quE.] **)

cum offeRetur

ConsOlatus, quo [u pro [a] antiquitus aptata]

studIs operam. [Erat studii et addita s a scriptore.]

primus respondit.) In margine deinde adderem scripsit. quia puto sententiae magis convenire respondit, quod scilicet primus publice de iure responderit, non vero scripserit. Est enim 'scripsit' in P. F. duabus lunulis vice parenthesi conclusum, tanquam removendum a contextus verbis. [Relinquimus in contextu quod erat in contextu, quod in margine additum addidimus.]

se praepARet.) ut sit praepararet, AR geminato. [Est additum ab ipso scriptore ra.]

Praetorii

equestre ordine) E pro I antiqua orthographia. [Difficile est dignoscere e an i littera sit. Sabinus quidem in equestri ordine fuit.]

appeLat. hic Consul

Tiberii. et) Est enim deletum ꝑ in ꝑied. [Est ita, Tibierisised, nec quicquam deletum.]

Praefectus Vrbi

---

*) Unum fuisse correctorem, statuit Zachariae Reise in dem Orient p. 49.

**) Est igitur in cod. *Labeoque,* non *Labeo qui,* ut vulgatur: quod a nemine adhuc animadversum est.

Consules

T. III. C. V. Cur numeri notis scribantur hic et sequentibus nulla ratio est. Huic enim edictum Iustiniani praeferrem, qui id quidem vetuit *). Quod si repugnares, lineolam numeris suprascribi, ut in P. F., velim.

C. XII. compraehendi **)

C. XIII. ad ✲ edictum ✲ Aedilium ✲ Curulium ✲.) Est enim utrumque in margine, et est elegantior loquendi forma, Ad Aedilium, ut reliqua intelligantur, quam Ad edictum Aedilium; etsi non ignoro consuetudine Iustiniani utrumque semper aliis locis addi. [Erat edm.] ***)

iurisdictionem) Ita in P. F. quanquam dure.

C. XXIII. certam semper interpretationem [Editio habet ut Pandectae.]

C. XXIV. perspecta) In P. F. perscecta. Forte persecta, vel potius percepta. [Est persecta, et p antiquitus superaddita.]

C. XXXII. libro L✲X✲XXXIIII Digestorum) Est enim X inter versus. †)

custodirei) Antiqua orthographia, ut supra. [è deleta sic a scriptore.]

introductumst.) Antiqua scriptura saxis vetustisque libris, hisce

---

*) Praef. de confirmatione Digestorum ad senatum §. 22. V. ad Pompon. §. 25.

**) Non spernenda hic et alibi haec vocis scriptura, quippe a saeculo, quo Digesta composita sunt, minime aliena. Quam libri scripti rescriptique innumeris locis, quos enumerare longum esset, prae se ferunt.

***) *edictum.* Brencmannus vocem *Aedilium* tantum notaverat.

†) Obscuravit huius loci crisin Gebauerus scribendo *XCIV.* Commode hic admoneor eorum, quae supra ad §. 25. p. 47. de numerorum scriptione in Flor. cum Dirksenio adnotavi. Concedendum enim, non solum hoc loco, sed etiam aliis multis in hoc titulo III numeros siglis exaratos reperiri; quamquam in sententia ibi proposita hac re nihil mutatur. Etenim valde mirum debet videri, hoc uno titulo tantum non omnes numeros notis expressos esse: quod vix aliter poteris explicare, quam ut librarium de Iustiniani edicto, de quo supra, opportune monitum, hanc scribendi rationem in sequentibus deseruisse. Cf. Metellum mox ad C. XXXIII.

maxime libris, et Bembi Terentio, perquam familiaris. Perperam igitur scriptor E addidit inter versus. *)

C. XXXIII. Libro primo de officio) Sic in P. F. emendatum, cum scriptum esset X̄ officio. [Immo Ī de officio.] Sed inter versus scripta sunt.

C. XLI. consistit) Facilis lapsus ex inversione litterarum; quamquam constitit non improbo. **)

T. V. C. V. PErerit) pro pepererit, propter geminatum PE.

C. X. Hermaproditum] Saepe in saxis triumpus et huiusmodi, omisso H. Non igitur erat scriptoris correctione negligendum id vestigium antiquitatis.

C. XIII. commiSus

Haec Metellus tuus, si tibi probabuntur.

Reliquos terniones non vidi.

Velim ita capita partiri, ut initium, primum paragraphum, ut loquuntur, sive speciem, constitueret. Sic enim usurpant Graeci, a quibus libros nostros iuris accepimus.

---

*) Liberandum igitur verbum *est* asteriscis, quibus a Taurellio usque ad Gebauerum scilicet ornatur. Nam quod Metello, antiquitatis mirum saepe in modum studioso, placuit ut *st* pro *est* reponeretur, id ob saeculi, a quo ista loquendi ratio aliena est, consuetudinem fieri nequit. V. ad Cic. de rep. II, 10. p. 483. Igitur corrector *e* quod scriba omiserat, recte addidit. Sed lucramur ex Metelli nota aliud quicquam notabilius. Si enim sumere licet, a scriba nonnumquam pro *est* exaratum esse *st*, neminem fugere potest, *est* ubi scribendum esset, facile in *sit* corrumpi potuisse; in quod corruptelae genus quam proclivis error librariorum fuerit ostendi ad Cic. l. l. p. 482. Exemplum, ut suspicor, indubium est ap. Ulpianum D. I, 4, ubi perverse legitur: *Ius gentium est quo gentes humanae utuntur: quod a naturali recedere, facile intellegere licet: quia illud omnibus animalibus, hoc solis hominibus inter se commune sit:* quo loco recte iam Haloander *est* pro *sit* reposuerat.

**) Immo quam maxime improbandum. *Consistit* revocandum non solum ex aliis codd., sed ex ipsa Florentini correctione recte explicata, de qua v. Brencmannum, illam metathesin in Codice esse tralatitiam recte adnotantem. Exemplum supra notatum ad Lib. I. Tit. 1, 1. Alterum exstat ap. Ulpian. D. XLVII, 15, 1: *nam qui praevaricatur, ex utraque parte constitit,* uti ex Flor. eodem cum vitio vulgatum. Quod in vulg. recte legebatur *consistit*, cod. Rehd. confirmatum est.

Capitum sive legum numerum in exteriorem, non interiorem, marginem reici cuperem. Non enim sunt contextus, sed additi, et quaerenti quippiam promptiores ad manum occurrerent.

Errores scribendi consueti notandi sunt omnes, ut peccandi mos agnoscatur: modo tamen salva sententia sit. Quosdam enim scribere, quosdam negligere non licet. Cur enim T pro D, ut set pro sed, E pro I, quod crebrum est, non notatur, ut o pro V, et contra; et necesset *); et casibusa et similia?

Quae pondus habent, etiamsi minimum, vel inter versus addita, vel in margine scripta, vel in ipso contextu correcta, vel mutata notarem.

Perpetuam quandam, eamque vetustiorem orthographiam sequerer; nec in ea umquam variarem. Scriptores enim saepe, nulla de causa, veterem immutarunt, vel potius, morem quendam suum sequuti.

Accentus omnes Latinis verbis adimerem, ut Graecis. Unde enim in usum? Neque vetusti codices habent, neque saxa.

Verbum unum partim maioribus, partim minoribus non scriberem. Maiusculam primam tantum notarem, ut Aelius, non AElius. In nominibus enim propriis usum typographum video.

Caput primum alicuius tituli ab inscriptione ordirer, non legis verbis. Sic enim in Pand. Fl.

Quod dixi Stlitibus in Pand. legendum, confirmari potest Festi Pompei testimonio **). Sic enim inquit lib. XVII. Stlata genus navigii, latum magis quam altum, et a latitudine sic appellatum; sed ea consuetudine, qua Stlocum pro Locum, et Stlitem pro litem dicebant. Stlembus, gravis, tardus; sicut Lucilius Pedibus stlembum dixit, equum pigrum et tardum. Quinimmo omnes inscriptiones Stlitibus habent, non Litibus. Ex multis paucas afferam ***).

---

*) Pompon. §. 11.

**) Pag. 312. Müll.

***) Omisi, quoniam editae sunt omnes: notabo tamen earum et praescriptiones Metelli et discrepantias ab exemplis editis.

1. Romae, in Caesii Cardinalis domo; litteris optimis et antiquissimis in basi statuae. Ex Grut. p. 393, 6 ap. Orellium 3135, sine ulla varietate.

2. Ibidem, in basi statuae. Ap. Grut. p. 407, 2. Metellus

SEPTIMINO, verissime, coll. Grut. p. 407, 1. Idem PONTI, non PONTHI. Mox CRETAE et STLITIB.

3. Retro Caesarinorum domum, in aedibus cuiusdam coctoris calcis, in basi statuae. Ap. Grut. p. 407, 2. Metellus vs. 2. CATINIO. Vs. 8. DVC. Vs. 10. M pro IMP. Vs. 13. PR.PR (ut Reinesius) pro PER. Vs. 16. PL omittit. Vs. AMBRELIANVS.

4. In Caesii domo, sed pessimis litteris, in basi statuae. Ap. Grut. p. 465, 5. Metellus AVRELIAE ET CORNELIAE, veram lectionem. Idem sub finem AETRILLO.

5. In Crepanica domo, Romae, litteris tamen inconditis; in basi statuae. Eadem cum superiore proxima inscriptio est. Metellus FABIO ARISTAENETO; mox C. V, ubi Grut. V. C et EPVLONVM et AVGVSTALI pro AVG. Verba CVRA — PROCVLO desunt ap. Metell.

6. In agro Tiburtino, ad Lucanum pontem, in sepulchro, mole quadrato ex saxo structa, eoque Tiburtino. Est autem rotunda amplioreque forma. Huic proxima est paullo longior marmorea tabella, ad dextram, cum inscriptione litteris optimis ac minutis. Ad sinistram est alia tabula marmorea, multo maioribus litteris sculpta, sed propemodum vetustate consumptis. Additae plerisque syllabis lineolae, tanquam quidam accentus. Veteres enim legimus vocabulis natura longis suprascripsisse longam, ut ea nota lectores admonerentur. Tabula dextra sepulchro proxima. Ap. Grut. p. 453. Metellus vs. 3. SODALI. Vs. 6. CLAVD. Vs. 7. BRITTANNIA. Vs. 23. SCITHARVM. Vs. 24. BORVSTENEN. Vs. 27.P RAEFECTVRBISREMISSVM.

Tabula sinistra, in ipso sepulchri muro inserta ac infixa. Est enim sepulchri ipsius titulus, estque quadrata tabula. Ex Grut. p. 432. ap. Orellium 622. Metellus:

M· PLAVTIVS· M· F. A. N· SIL
VANVS. COS. VII. VIR. EPVLON
HVIC. SENATVS· TRIVMPHALIA
ORNAMENTA DECREVIT OB
RES· IN. ILYRICO· BENE· GESTAS
LARTIA· CN· F ,,,,,,,,,,,,,,,,,,,,
,,,,,,,,,,,,,,,,,,,

II.

Digestorum codex Neapolitanus.

Notabo in sequentibus lectiones quasdam ab optimo cod. Neapolitano rescripto, quem excussit Gauppius De Quatuor foliis Digestorum codicis rescripti Neapoli nuper repertis, Vratislaviae 1823, suppeditatas, quibus Pandectarum contextus mirifice emendatur: non quod credam ab ICtorum paucis illis, quibus accuratior iuris librorum emendatio cordi est, observatas non esse, quod tamen an factum sit non habeo in comperto, sed quod in novissimis Kriegeliorum Beckiique editionibus codicis illius subsidiorum, quod vix credibile videatur, rationem aegre videam habitam nullam. Quae ista est harum litterarum nostra aetate conditio, quum ii, quorum gratia viri ingenii et doctrinae limatioris in conquirendis excerpendisque iuris antiqui exemplis bonas horas impendunt, taedium devorant immane, thesauros aerumnose erutos ignorent aut fastidiose spernant. Exploratum enim mihi quidem est, nihilo Florentino codice Neapolitanum auctoritate inferiorem esse; si quidem omnibus inter se expensis momentis patet illo hoc exemplum multo maiore cura exaratum esse ideoque contextum multo correctiorem exhibere; tum ex aetate si aestimes auctoritatem, Florentino Neapolitanus certe suppar est, nisi quod ex scripturae genere rigidiore cognoscere mihi videor, illo etiam vetustior est: nam quae Gauppius ad demonstrandum attulit argumenta, Florentino eum paullo esse recentiorem, ea mihi quidem non persuasit. Verum prius uter scriptus sit, scire haud magni refert, si modo supparis aetatis utrosque esse concedatur, quod nemo infitias ibit.

Ulpianus X, 2, 8.

Idem Pomponius. §. 1. Pomponius ait, columbas etc.] Ita ex Flor. vulgatur, perverse, quod si cum Ulpiani verbis, quae

praecedunt, accurate contenderis, patebit. Sententiarum autem ordo et nexus hic est. „*Pomponius scribit, si uni ex heredibus praelegatae fuerint rationes, non prius ei tradendas, quam coheredes conscripserint. Nam et si servus actor, inquit, fuerit legatus, non alias eum tradendum, quam rationes reddiderit.* Hactenus ex Pomponio refert Ulpianus, istis quid ipsi ad complendam sententiam addendum videatur, continuo subiungens verbis: *Nos videbimus* usque ad *coheredibus praestari*, quibus fragmentum Ulpiani desinit. Iam vero quae vulgo sequuntur *Idem Pomponius*, ea absurde Ulpianus adiecisset, quoniam si ipse a Pomponii sententia non aliquantum differret, in continuanda Pomponii oratione non potuisset non pergere. Igitur in iis, quae addidit, ipsi cum Pomponio non convenit. Corruptelam apertam tollit Neapolitanus, ubi omisso posteriore nomine *Pomponius* contextus egregie ita habet PRAE*stari* IDEM POMPONIVS, unde procedit haec forma orationis *praestari*. §. 1. *Idem Pomponius ait, columbas* etc., ut iam ex aliis codd. allatum est. Habemus igitur manifestum fidei exemplum, qua et ceteri codd. prae Flor., hic ubi rationi adversatur, digni sint. Ac maximi in crisi factitanda momenti videtur, quod certo certius hinc concludimus, inter ceteros Digestorum codices ad nostram aetatem perlatos quosdam esse, qui neque ex Flor. profluxerint, neque cum eo commune quicquam habeant. Quod quum accuratius persequi neque huius loci sit neque ad me pertineat, satisfecisse officio meo mihi videbor, si hac observatione quempiam excitaverim, qui codicum praesertim illorum, qui a Flor. hic dissentiunt, scripturam diligentius pervestigare et denuo in examen vocare vellet. Neque integra sunt quae tum ex Pomponio referuntur, ex Flor. ita descripta: *Columbas, quae emitti solent de columbario, venire in familiae herciscundae* *) *iudicium; cum nostrae sint tamdiu,*

---

*) Recte Flor. *herciscundae;* supra vero §. 2 et rursus mox sine spiritu, quem recte ibi suppeditat Neapol. Kriegel. et Beck. sine adspiratione. Illa autem unice vera vocis scriptura, firmata sigla illa lapidaria, qua de v. Iaumanni Colonia Sumlocenne p. 179, et Lege Galliae Cisalpinae sub finem, ubi quum ex Marinii apographo Dirksenius Obs. in Leg. Gall. Cis. p. 16 repetiit DE FAMILIAE ERCISCVNDA, iam liquet extremam litteram v. *familiae* male acceptam esse, quum debuisset explicari H, id quod Carlius iam edidit. Neque aliter illa vox scri-

quamdiu consuetudinem habeant ad nos revertendi. Male habet *tamdiu,* quod numquam nisi uno certe verbo interposito voci *quamdiu* praemittitur, ut Cic. de rep. V, 4, 9. Ulpian. D. L, 9, 30, 3. Iavolen. D. XL, 1, 106: aliud est *tamdiu dum;* illud vero Latinorum nullus dixit. Deleamus igitur *tamdiu,* quod molestum est, ope cod. Neapolidani eiusdem, in quo inter *nostrae* et *consuetudinem* lacuna quidem est, sed, teste Gauppio, exigui spatii, soli vocabulo *quamdiu* capiendo idonei. Atque eadem plane conditio cod. Neap. §. 2, ubi recurrit *tamdiu quamdiu,* teste eodem Gauppio.

Ibidem 11.

Partum quoque editum et post aditam hereditatem] Neapolitani auctoritate delenda est copula, quae et rationem legis turbat, et in Flor. sola manus rec., quae adscripsit, fide nititur.

Iulianus X, 3, 25.

milia] Firmatur codice Neapol., quod non notarem, nisi eam vocem etiamnum in contextu Kriegeliano obelisco illo Taurelliano signatam vidissem, quo iam liberanda erit. Eodem vitio olim laborabat Scaevola D. XVI, 2, 22.

Ibidem 26.

Respondi, si quidem culpa illius magis quam casu res communis damni cepisset, per arbitrum communi dividundo posse reciperare] Idem editorum peccatum. Audiamus Brencmannum. „Gothofr. *quid* [pro *quidem*]. Nempe ipse Taur. in margine: *quid.* Ultimae literae *em* Flor. subantique sunt deletae. Receperunt τὸ *quid* omnes, qui cum *damni* construerent, ubi tamen *quid* postest intelligi.“ Quo pacto hoc fiat, ignoro. Quid vero, quum ne Florentino quidem iam constet illud *quidem* muniri? Reponamus *quid,* quod etiam Haloander scripserat, ex cod. Neapol., et quod, ut nihil taceamus, Beckius recepit. Accedit quod phrasis *si quidem* in hoc contextu a consuetudine ICtorum aliena est.

---

benda in Fragm. Vatic. de usufructu, ubi Buchholtz p. 43. *erciscundae* edidit, *herc.* iam Maius proposuerat p. 14.

III.

Codicis Iustinianei et Interpretationis Iosephi Rufinianae fragmenta ex codice Gissensi.

In bibliotheca academica Gissensi aliud nescio quid quaeritanti in manus mihi forte spissum volumen incidit, Sermones de sanctis formales Bonaventurae Cardinalis et Episcopi Albanensis aliaque forma quarta a. 1511 impressos continens, quo evoluto, quum membranam, quae ad utrasque tegumenti tabulas cum volumine ipso intus colligandas adhibita esset, scriptura antiqua repletam animadverterem, examinare illico coepi, et duobus tribusve versibus explicatis intellexi, ea membranae parte anteriore quae fronti operis ex adverso est, Codicis Iustinianei, in altera posteriore, quae ultimo folio opposita est, Iosephi Antiquitatum Iudaicarum a Rufino Latine redditarum fragmenta exhiberi. Utrumque vero folium ex diversis codicibus excerptum esse, tum membranae, tum scripturae diversitas ostendit; hoc unum commune inter se habent, quod quum ex codicibus forma maxima scriptis desumpta sint, impressi voluminis conditioni iam aptanda quadriplicata sunt, ita ut una folii dimidia pagina tabulae adglutinaretur, quae quum resoluta fuit, legi demum potuit. Habemus igitur folia duo diversa integra licet hic illic laesa et summa ora quatuor vel quinque versibus decurtata. De unoquoque autem singulatim agendum, ac primum de priore dicam, aetatem si codicis spectas, saeculo decimo quarto non antiquiore, et in ea pagina, quae adglutinata fuit, ad legendum perdifficili. Est folium unum codicis, quo Codex Iustiniani continebatur cum glossis margini a diversis manibus adscriptis, minime spernendi, et exhibet l. VI fragmenta. Contuli cum ed. Gebaueri, glossarum illarum, quae nullius pretii esse videbantur, ratione habita

nulla. Non spernent, opinor, novum hoc Codicis emendandi subsidium qui ad limatius aliquando edendum Codicem, quem laborem tandem peritus aliquis velim in se suscipiat *), accessuri sint.

Paginae primae Col. prior incipit Tit. 31. §. 12 verbo *effluxit* (sic pro *effluxerit*) et has suppeditat varietates:

quod inventarium secundum inventarii formam praesentis const. Quod adiicitur *inventarii*, etsi salvo sensu abesse potest, tamen orationis diligentiam auget.

omnimodo, ut vulgo, sed scriptum *omo*, unde facile perspicitur origo lectionis aliorum codicum *omnino*.

§. 13.

de is pro *de his*

deliberatione

esse deest, ut in aliis codd.

supervacuam esse

ei omittitur, ut etiam mox *eis*, quod item ab Hal. abest.

dampno

deliberatione pro *deliberando*

supplicandum necessarium a nobis existimant, omisso *esse*

tergiversare

fidelibus pro *flebilibus*. Sed suprascr. *al. flebilibus*

conpetere pro *petere*

tamen non

sed si, omisso *et*, quod quoniam sententiam turbat, cum aliis libris abiiciendum est.

nichilo

§. 14.

necesse enim eos omnimodo deliberantes et inventarium cum etc., quae lectio eo sustentata, quod etiam alii Mss. *deliberantes* praebent, vulgatae multo praestat.

recusaverit. Post primam vocis syllabam desinit Columna. Altera incipit verbis *deliberationis auxilium* eadem §.

statutum egregie pro *datum*

teneantur

et non enim secundum

sed et si. Ita Hal. quoque cum cod. G.

---

*) Puchta Institutionen T. I. p. 720.

quasi in totum heredem eum. Optime: *quasi* enim ad verba *in totum* pertinet.
obligari sibi, omisso *et*
elegit
et ideo cum in ipsam
donationem, vulgatae *dationem* praeferendum.
promulgandum
haec
omnibus modis in solidum. Bene adiicitur *omnibus.*
honerariis
deliberatione
deliberandum pro *deliberationem.* Illud plurimi codd.
compellitur

§. 15.

eius pro *eisdem.* Sed clare dispici hodie non potest.
et pro *etiam*, ut cod. G.
Cum ampliore etenim tractu. Hac voce media Columna desinit.

Alterius paginae Columna prior in summa linea habet verba persecta *-tinere sancimus*, quae sunt extrema Tituli XXX. Continuo sequitur rubro colore picta inscriptio insequentis *De repudianda vel abstinenda hereditate.* Varietas sequentium haec est:
Impr. Spatium eorum quae legi nunc non amplius possunt soli Antonini nomini et compendiose quidem scripto capiendo sufficit.

§. 1.

abstinuisse te
Subscriptio *PP. Id.* etc., ut etiam in ceteris fragmentis, in Cod. omittitur.

§. 2.

I grandiusculum, quo modo omnes fragmentorum litterae initiales scribuntur, cum lacuna pro *Idem A. Severo*, sed perexigua.
te abest
eiusdem pro *eisdem*

§. 3.

Praescriptio solum *Impr* habet.

§. 4.

In praescriptione solummodo *Idem*, vel *iisdem a.*
XXV.
postea
repudiandi
quantitatem certam

§. 5.

Praescriptio ut in praecedenti fragmento.
nichil
eis abest.

§. 6.

Praescriptio *Impr. I.*
permissum, cum plurimis codd.
paternae res
permaneant
tempus
hereditatem. Ultima haec prioris Col. vox. Altera incipit verbis *pro utili* eiusdem §.
aliud scilicet triennium
ei omittit
adversetur pro *reservetur*
etenim et per

Tit. XXXII.

Quemadmodum aperiantur testamenta, inspiciantur et scribantur. In praescriptione solum *Impr.*

§. 1.

proferatur factum
Subscriptio abest.

§. 2.

Praescriptio nihil aliud nisi *Impr.*
tabulas et si. Sed *et* non clare nunc dignoscitur.
proferantur, ut Hal.
adfirmans
illic potes proferre
Subscriptio deest.

§. 3.

Praescriptio *Impr. dioc.*
inspiciendi vel desscribendi

tibi rector
Sine subscriptione.

§. 4.

Praescriptio *Impr̄. c.*
Condicillos
formatam. Post primam syllabam desinit Col. et una totum folium. Sed iuxta rubro atramento inscriptio Tituli sequentis adiecta est, sic: *De edicto divini Adriani tolendo quemadmodum scriptus heres in possessionem mitatur.*

Iam nos convertamus ad alterum folium, Rufini Aquileiensis, ut dixi, particulas quasdam ex interpretatione Iosephi Antiquitatum Iudaicarum continens, ex codice exsectum, quod scripturam undecimi vel subsequentis saeculi ostendit. Constat pagina quaevis duabus columnis, quarum anterioris laevum latus, posterioris dextrum nonnullis litteris decurtatum est. Tum etiam folii inferior ora sectura damnum duorum versuum in quaque columna fecit. Contuli cum ed. Veneta a. 1486 emissa *). Incipit prioris paginae Col. 1 verbis *factum et semetipsum*, quae exstant XVII, 17, (c. 12 contextus Graeci).

obstupescere. Ven. *obstupere*, quam verbi formam in Lexicis adnotatam non reperio: at *obstupendus* certe exstat apud Varronem Sententiis 82 ed. Devit., et hinc in Iahnii Jahrb. 1843. Suppl. Vol. IX. p. 598.
Cumque
cipro
obtabile pro *inoptabile*
mariamme. Ita Iosephus. Ven. *marianne.*
docueral. sed caesar
illum omittitur, neque exstat in Iosepho.
temptaveris

*) In fronte inscribitur: *Iosephi iudei historiographi viri clarissimi prologus in libros antiquitatum viginti incipit foeliciter: et de graeco in latinum traductos: per venerabilem presbyterum ruffinum aquileiensem virum doctissimum.* Sub calcem: *Impressum Veneciis per Ioannem vercellensem Anno salutis* M.CCCC.LXXXVI. *die* XXIII. *octubris.* Suppeditavit humaniter mihi ex Bibl. Darmstadiensi praefectus eius, Federus, vir eruditissimus. Aliorum exemplorum copia mihi nulla fuit.

perpulerit pro *pertulerit*, egregie.
aperit. Mendose Ven. *aperte.*
commodatum. Recte. Ven. *commentatum.*
laboribus aptum
condempnat et mox *condempnatio*
amisissent. Recte, ut patet ex Iosepho. Ven. *amisisset*, sine sensu.
fidem pro *finem*

Cap. 18 (13).

convenerit, bene.
gerichunte
inrigationem
vicum pro *victum.* Iosephus κώμην.
vero om.
arcessit
see pro *oseae.* Haverc. τοῦ Σιὲ παιδός. Confirmatur iam nostro libro optimorum Mss. lectio Σεέ.
samare pro *samariae.* Cum illa nominis forma convenit, quod populus ipse apud Iosephum non modo Σαμαρεῖται, sed etiam Σαμαρεῖς appellatur, monente Knobelio de Samaritanis (Denkschrift. d. Gesellsch. f. Wiss. u. Kunst I, 1. p. 167). Exstat v. c. Antiq. Iud. XVIII, 4, 1. Atque Σαμαρία non potest non ductum esse α Σαμάρα.
mortesque tyrannicas
accusationem
clementerque pro *dementerque*, quod nihili est. Iosephus ἐπιεικῶς.
ut advertit, omisso *haec*, ut apud Iosephum.
navigavit pro *navigat*, sed cum punctis positis sub tribus extremis litteris et suprascripta correctione *tione*, ut sit *navigatione.* Vox praecedens est in scissura, ita ut dici nequeat, utrum *celeri* in codice scriptum fuerit, ut exspectare licet, scilicet omissa copula *et*, an *celeriter*, quod est in Ven. Iosephus: καὶ ὃς ἔκπλουν ἐκ τοῦ ὀξέως ποιησάμενος, καὶ ἀφικόμενος εἰς Ἰουδαίαν, quae Codicis lectioni favent.
Archelaum qua. Sed *que*, ut est in Ven., suprascriptum.
amicis. Sequentia usque ad *confestim* sectura folii intercideruṇt.

vero pro *autem*
adstantibus
retrudi
bienna, sed correctum *vienna*
galileae pro *galliae*
vocatus fuisset
simon
veniens, ut in Ven., sed linea subterducta. Neque agnoscit Iosephus.
rerum illi somnino significari
somnino pro *somnio*, ut ante. Bini mox loci, quo eadem vox iteratur, in scissura membranae sunt, ut quid scriptum fuerit ignoremus.
perspicas
decem pro *X*
evocator eius archelaus sibi quintus in iudeam venit a caesare destinatus. Ven. *evocator eius archelaus procurator suus in iudeam venit a caesare destinatus.* Illud unice Iosephus: ὁ ἀναχαλούμενος Ἀρχέλαος πεμπτὸς εἰς Ἰουδαίαν ὑπὸ Καίσαρος ἀφίκετο.
similiter autem et glafire uxoris
Postea quam ergo idem alexander
libiorum. Quod in utroque libro praemittitur *Iobato* ex miro Rufini errore natum, Iosephum non adsecuti, qui scripsit Ἰόβᾳ τῷ Λιβύων βασιλεῖ.
Mariam. Debebat librarius scribere *Mariammen*, vel *Mariammam*, ut supra recte scripsit. Ven. *Marianne*, ut supra. Iosephus Μαριάμμην.
Cum ergo iuncta
inputare
constricta es et iugali foedere virgo sociata, prorsus ut Iosephus, συνωμολογήσασά μοι [Vat. συνωμόσασά τε] καὶ συγκατοικισθεῖσα παρθένος. Ven. *constricta es? sed in iugali* etc.
torum
obli- Quae sequuntur usque ad *caream* sectura membranae perierunt.
sane te. Adscriptum post haec supra *de*.

familiaribus. Addit *mulieribus*, ut apud Iosephum est τὰς συνήθεις τῶν γυναικῶν.

redtulisset

haut, sed *d* suprascripto

inportuna

primum

eas pro *ea*

atque etiam pro *aut etiam*, quod vitiosum. Illud tuetur Iosephus.

dispensatione

cyrenius, sed suprascriptum *cyrinus*

dispuncturus pro *dispositurus.* Egregiam lectionem illam usus loquendi firmat. Eadem Mss. fluctuatio apud Ulpianum D. XL, 7, 6, 7. Quem locum ex corruptissimis unum et simul vexatissimum adscribam emendatiorem: *Si quis non dare decem, sed rationibus redditis liber esse iussus sit: an ad emptorem haec condicio transeat, videamus. Et alias sciendum est, eas demum condiciones ad emptorem transire, quae sunt in dando: ceterae, quae sunt in faciendo, non transeunt: utputa si filium eius litteras edocuerit; hae enim personis eorum cohaerent, quibus adscribuntur. Rationum autem reddendarum condicio, quod ad reliqua quidem attinet, in danda pecunia consistit: quod autem ad ipsa volumina rationum tradenda perconlandasque et examinandas rationes, etiam dispungendas atque excutiendas, factum habet.* Pro *ceterae*, quod coniectando assecuti sumus, vulgatum *ceterum*, quod licet in Flor. sit, non solum sententiam turbat, sed ideo quoque suspectum est, quod in eodem cod. insuper additur *hae*, id quod et alii libri suppeditant scribendo *hee*, quod Gebauerus pro *eae* recte accipit. Atque hoc sincerum, nisi, quod mihi verisimilius visum, malis putare, ex errore quum primum *ceterum* pro *ceterae* scriptum fuisset, *eae* ut locus sibi constaret, adiectum esse. Mox *adscribuntur*, quod sensus ratio postulat, obtulerunt codd. nonnulli, pro *adscribantur*. Postremo Flor. lectionem revocavi *quod* pro *quo*, ut vulgatur, temere spretum, quod non intelligerent ad *quod ad* ex praecedente altero membro aequali mente supplendum esse *attinet:* respondent enim sibi tum constructione, tum

sententia commata *quod ad reliqua attinet* et *quod autem ad ipsa* etc. In extremis verbis vulgatur *et in dispungendas*, ex Flor. non sine nota editoris, ista integra non esse, neque posthac quisquam pro integris habuit. Scripsi *etiam*, ut Florentino me accommodarem:. alii *in* omiserunt, haud male, sed citra codd. fidem, quorum a duobus tantum abest.

redditurus. Inepta sententia Ven. *rediturus*. Illud unice verum. Iosephus: καὶ τὸν Ἀρχελάου ἀποδωσόμενος οἶκον. Sequitur in cod. nostro: *Incip. liber XVIII Flavii Ioseppi Iudaicae Antiquitatis. Lib. XVII expl.*

Liber XVIII.

Haec continentur — antiquitatis iudaicae omittuntur

cyrenius

censeret. Addit *redditurus etiam archelai substantiam postquam translata est iudaea ex regio habitu ad praesidalem dispositionem*, prorsus ut in Argumento Iosephi

et quia cirinus — fieri substantiarum suarum absunt, neque habet Argumentum.

galileus pro *galonites*. Illam formam Argumentum. Ceterum mirum apud Rufinum sequi *et quidem alter persuaserunt*, quum sit in Argumento καί τινες ἕτεροι ἔπεισαν.

multitudine

Item qualiter pro *qualiter:* sed sectura membranae ista verba ferme perierunt, ut duae primae litterae tantum adhuc legi queant.

plurimi pro *populi*. Recte, ut in Argum. Post *plurimi* continuo additur *quoque*.

consecutis. Tum sequuntur quae absunt a Ven., sed cum Argumento concordant haec: *donec iozarus pontifex persuasisset eis oboedire magis romanis ut descriptionem fieri non resisterent*. Proba forma verbi *oboedire*, de qua v. ad Cic. remp. III, 29 p. 291. Istorum loco post *consecuti* in Ven. leguntur *seditiones et bella civilia: seu latrocinia exercuerunt ve et quantae*, desiderata in edito Argum. Illud vero *ve* corruptum ex *quae*, ut in membrana Giss. est, qua voce nova §. inchoatur. Mox cum Ven. conspirat Giss. in voce *philosophorum*, cuius loco ex cor-

rectione in Iosepho vulgatur φιλοσοφίαι pro φιλοσόφων, quae lectio universis codd. sustentari videtur.

iudaeos

philippus. Additur *etarce*, scilicet vitiose pro *tetrarchae*, ut est in Argum.

fabricarunt. Quod insequitur *et* abest a Giss.

samaria ei pro *samarite*

templo. Addit *spasmi.*

festivitas. Addit Ven. *azimorum*, invito Argumento; sumptum illud est ex ipso Iosepho.

imineret

populum. Adiicit *per VII dies*, ut in Argum.

Qualiter salome soror herodis moriens iamniam et omnem regionem suam et fasahelidam et archelaidam iuliae uxori caesaris dereliquid. Horum loco Ven. *Mors salome sororis herodis quondam regis iudeorum: mors etiam augusti: romanorum secundi imperatoris. Successio tyberi caesaris sub quo pontius pilatus mittitur in Iudeam.* Paene omnia haec ex ipso Iosepho sublecta esse, ostendit collatus. Integrum Rufinum sine dubio praestat membrana Giss., sed quae simul testatur, Graecum Iosephi argumentum, quod vertit Latine, olim uberius fuisse compositum, id quod et alius mox locus docebit. Quodsi ita est, ut arbitror, colligitur, quod magni momenti esse videtur, codice multo integriore iis, quorum ad fidem nunc Argumentum constitutum est, Rufinum usum esse. Quae in argumento Rufiniano leguntur, sumpta sunt ex c. 2, 2: ἐφ' οὗ καὶ Σαλώμη τοῦ βασιλέως Ἡρώδου ἀδελφὴ μεταστᾶσα Ἰουλίᾳ Ἰαμνίαν τε καταλείπει, καὶ τὴν τοπαρχίαν πᾶσαν, τήν τε ἐν τῷ πεδίῳ Φασαήλιδα καὶ Ἀρχελαΐδα.

pilatus omittit

hierosolima pro *in hierosolymam*

aut pro *autem*, male

hierosolimis

transmitteret et de iesu christo. Quae iudaeis pro [sic] *illud tempus romae provenerint per corruptelam samaritici populi. et qualiter pilatus plurimos interemit.* Ven. *transmitteret.* Cap. VIII. *de iesu christo.* Cap. IX. *De facto quod contigit romae in templo isidis: et quae iudeis per*

illud tempus romae provenerint: omnibus urbe expulsis per tyberium: et de seductione samaritici populi: vel oppressione eius per pontium pilatum. Haec ex ipso Iosepho suppleta sunt. Liber Giss. adamussim conspirat cum Argumento vulgato.

vitellium: qualiter

ira pro *ire*, vitiose.

conpulit

eam tigerant pro *contigerant*

redderent

in hierosolima. Sequuntur *honoratus a populo et qualiter ob id concessit eis sacram stolam quae a romanis in antonia servabatur in suae potestatis ius suscipere.* Correxi membranam, in qua exstat *sacramtollamq. a romanis* et mox *servabantur.* Iosephus c. 4, 3: δεχθεὶς δὲ μεγαλοπρεπῶς Οὐϊτέλλιος... καὶ τὴν στολὴν τοῦ ἀρχιερέως καὶ τὸν πάντα κόσμον συνεχώρησεν ἐν τῷ ἱερῷ κείμενον ὑπὸ τοῖς ἱερεῦσιν ἔχειν τὴν ἐπιμέλειαν, καθότι καὶ πρότερον ἦν αὐτοῖς ἐξουσία. τότε δὲ ἐν τῇ Ἀντωνίᾳ, φρούριον δ' ἔστιν οὕτως λεγόμενον, ἡ ἀπόθεσις αὐτῆς ἦν. In Argumento tantum perscribuntur: Οὐϊτελλίου ἀνάβασις εἰς Ἱεροσόλυμα. Plenior igitur Rufinus. Longe autem diversa Ven. haec contractiora: *magnificus ac munificus extitit in populos.* Tum post *suscipere* adduntur in Giss. *pugna herodis tetrarchae adversus aretam aroborum* *) *regem et qualiter superatus extiterit.* Haec extant quidem in Argumento, sed alio loco, quippe §. 10, qua de morte Philippi agitur, postposita.

Qualiter Tiberius, sine copula

scripsit vitellius ut artabani partho persuaderet obsides mittere adversus aretam vero pugnare. Ad verbum exstant in Argum., in quo notandum Ἀρταβάνης scribi, uti nunc in Rufino Gissensi, qui alias Ἀρτάβανος audit. Illorum loco Ven. *scripsit vitellio ut amicicias componeret cum artabano*

---

*) Legendum *Araborum*, de qua forma v. Ernest. ad Tac. Ann. IV, 43. Ceterum obiter adverto apud Iosephum in capitis 5, quo ista enarrantur, praescriptione Πόλεμος Ἡρώδου τοῦ τετράρχου πρὸς Ἀρέταν καὶ τῶν Ἀράβων βασιλέα etc. pro καὶ legendum ἐσσε τόν, ut recte exstat scriptum in Argumento.

parthorum imperatore. Post *pugnare* in Giss. sequuntur: *Qualiter tiberius caesar scripsit* [Cod. *scripsis*] *morte philippi tetrarchias et qualiter tetrarchia eius in praesidalem dispensationem redacta sit et de* . . . quae prope cum Argum. conveniunt. Reliqua post *de* abscissa sunt. Ven. *Mors philippi fratris herodis iunioris: et qualiter tetrarchia eius dispensationi syriae: regiminique coniuncta est.* Mitto nunc quae in Ven. subiunguntur. Membranae Giss. pagina ultima incipit *accusatus a proprio liberto devictus est*, quae spectant ad Argum. verba καὶ ὡς κατηγορηθεὶς ὑπὸ τοῦ ἰδίου ἀπελευθέρου ἐδέθη. Ven. *adeo ut a proprio liberto romae accusatus: et convictus in vincula a tyberio sil iniectus* et alia, ut quae cum Argum. commune habeant nihil, hic omittenda. Iam Ven. et Giss. a §. 15, quae in Giss. numeratur XVII, melius concordant.

missus exstat ante sectuaram membranae; perierunt igitur nonnulla, puta *est qualiter*, quae spatium fere explent et cum Argumento conveniunt, in quo leguntur καὶ ὡς τὴν τετραρχίαν αὐτοῦ ἐδωρήσατο Γάϊος Ἀγρίππᾳ. Etenim subsequens linea suppeditat *tetrarchiam eius marcus* [sic pro *Gaius*] *agrippe donaverit*; quae omnia in Ven. desiderantur.

ab apinione caeterisque cum illo legatis. Ven. *ab apione legato partis alexandrinorum.* Alexandrinorum nulla in Argum. mentio.

haberet

per omnium vitiose pro *petronium.*

simulacrum

iudaeis

obsineum pro *asineum*

annileum pro *amileum.* Illud certe propius ad Iosephum, in quo scribitur sine varietate Ἀνιλαῖος, ut etiam in Argum.

Iam incipit ipse Liber XVIII, cui praescribuntur rubro colore: *Hic tempus annorum XX . . .*; reliqua interciderunt. Non habet Ven.

Cap. 1.

Cyrenius, sed supra correctum *Cyrrinus.* Ven *Cirinus.* Iosephus Κυρήνιος.

caelebratus

ad consulatus

et in cunctis [haec tamen vox, si modo locum habuit, in sectura est] *aliis dignitatibus clarus.* Ven. *et in cunctis administrationibus: et aliis dignitatibus clarus.* Illa unice conveniunt cum Iosepho, τά τε ἄλλα ἀξιώματι μέγας, si quidem rescribamus id quod a nescio quo ap. Havere. legendum propositum est ἀξιώματα, et mirifice a nostro contextu Latino confirmatur.

Cap. 2 (1.)

adprivator uniuscuiusque sententiae, vitiose pro *appreciator uniuscuiusque substantiae.* Elementis *privator* suprascriptum ex correctione *breviator:* sed et *adbreviator* in mendo est.

copinius, ut Ven.; sed supra *i* scriptum *o* (Coponius, ut est ap. Ioseph.)

iudaeorum

cyrenius, sed suprascriptum *cyrinus.* Ven *cirinus.*

adpriaturus [h. e. *adpreciaturus*] pro *depraedaturus,* plane respondens Iosephi ἀποτιμησόμενος. Ceterum in lectione Giss. syllaba *ad* scripta supra *de,* ut primum exaratum fuit.

iudaei

subsisterent, sed *re* supra *sub* correctum. *Resisterent* unice Iosepho convenit.

namque

depravari pro *depraedari.* In Iosepho est ἀπετίμων χρήματα, unde coniicias locum similiter ac supra vitiatum et legendum esse *depreciari.* Mox verba *nam depraedationem* in scissura sunt: igitur quid membrana Giss. habuerit ignoramus, vix tot litterarum elementis sufficiens. Una voce Iosephus ἀποτίμησις usus est.

Cap. 3 (1.)

omnis

tuerentur

Cap. 4 (1.)

dictis pro *diebus,* ad sensum rectissime.

concitatur

se omittitur

parcerent pro *arcerent,* recte; eandem phrasin *parcere ab aliqua re* iam supra, ubi eius loco pariter *arcere se* Ven.

exhibebat, Giss. suppeditavit. Etenim verbo *parcendi* non solum ablativus simplex, sed etiam is cum praepositione *ab* iungitur, quamvis raro. Praelusit certe in passivo Livius XXV, 25: *ut a caedibus parceretur*. Ceterum in Iosepho quod sunt qui pro πόνου reponi iubeant φόνου, id nunc ex Rufino firmatur, *homicidiis* vertente.

hauriebant

secuius *) pro *secus*

---

*) H. e. *sequius*, eadem ratione dictum, qua ex *reliquus* evasit *relicuus*, et alia eius generis multa. Ex qua scriptura facile explicabis, qui factum sit, ut tam saepe *secus* et *sequius* inter se a librariis commutata sint, (v. intpp. ad Tac. Ann. VI, 13) quum praesertim pro *secus* etiam *secuus* scriptum reperiatur, quod me legere memini in antiquo codice, quem excussit Maius Coll. Vat. T. III. Etenim antique scribebatur *sequus* vel potius *sequos*, utpote a verbo *sequendi* ductum. Itaque facile mihi persuadeo, ut in Cic. pro Quint. 9. *quin secus iudicaret ipse de se*, ubi ex cod. Mureti *sequius* affertur, librarium in codice, quem describeret, *sequus* reperisse idque quum non intelligeret, in *sequius* mutasse credam. Cf. Both. ad Plaut. Anl. 387 (III, 2, 22), ubi quod nunc vulgatur *secus* pro *sequius* codice olim Monacensi firmari vidi, quemadmodum in simili loco Trin. I, 2, 93 rursus codd. nonnulli *sequius* exhibent. Etenim quod de vocis origine dixi, quodque iam ante eos, qui nostra aetate idem docuerunt, a Rob. Stephano Etym. Lat. v. *secus* occupatum fuit, quum ob ipsam scripturae rationem veritatis fidem habet, tum eo comprobatur, quod ex notione *sequendi* duae illae vocis significationes, quae ex una eademque stirpe vix profluxisse videantur, facile derivari possint. Quum enim *secus* de eo dicatur, quod sequatur aliud, patet *secus* significare id quod alicui proximum vel quod ex eadem origine ortum, *secundum* est, et simul id quod ab altero, quum non eodem loco sit, diversum est. Itaque factum ut *secus* et pro iuxta (exemplis apud Forcell. allatis adde *secus montem* in titulo in Jahrb. d. Ver. von Alterthumsfreunden im Rheinl. V. p. 316) et pro aliter dicatur: quam vocis vim duplicem Placidus Glossis (Maii Auct. cl. T. III. p. 500) his expressit: *Secus et aliter et aequaliter ponitur*. Forma vero positivi *secus* sese tuetur analogia vv. *versus, rursus*, iam a Schwarzio comparata ad Plin. Paneg. 53: quem nollem altera forma *versum, rursum* deceptum vitiosam alicubi repertam scripturam *secum* defendisse, cuius indubium apud scriptores antiquos nullum legitur vestigium. Tum quod nuper Doederleinius Syn. Lat. T. IV. p. 213 sustentare studuit, *secus* non esse positivum, sed comparativum, scilicet

agg. His elementis mutilis desinit membrana Giss. In Ven. est *ageretur*.

Diligentius fortasse quam res postulare videretur in explicanda ista codicis parte me versatum esse, miranti respondendum, propter istas lectionum minutias, licet iis mirifice contextus verborum restitueretur, tantum operae me non insumpsisse, sed quo proposita meliore exemplaris genuini forma demonstrarem, iniquius adhuc de tota illa versione Latina Rufini nomini vulgo adscripta iudicatum esse. Iam ego non quaeram, Rufino an recte ea adiudicetur, qua de re dubitatum est: non potest enim hoc paucis verbis absolvi; quamquam si fides penes Mss. est*), de Rufino auctore dubitari nequit; unum hoc in animo fuit ostendere, tametsi recte fecissent, qui interpretationem illam typis vulgatam tum ob squalorem sermonis tum ob ignorantiam interpretis ab elegantia et argumento exempli mirum quantum saepe aberrantis ita contemnerent, ut post e quam semel iterumque typis repetita esset, oblivioni paene traderetur, propter hanc ipsam operis indolem in suspicionem fraudis adeo adducta **): tamen mitius nunc, iudicaturos esse, qui vulgatum

---

elisa vocali *i*, ex *secius* factum, id minime ego quidem probo: nulla enim caussa est, cur comparativi formam *secus* esse statuamus ob eiusmodi locos, qualis v. c. est Cic. de or. III, 30: *ne quid fiat secus quam volumus.* Nam tametsi in eius generis locis comparationis quidem notio sane inest, tamen ea repetenda non est a comparativi forma, sed a vocis vi ipsa, quae eodem modo comparationem sustinet, quo *aliter quam* vel *ac* dicitur. Neque probo quod idem T. VI. p. 326 vocis originem ab ἧκα ducit, quod vel ideo fieri nequit, quod altera significatio *iuxta, secundum* ex Graeco illo fonte vix derivari poterit.

*) V. Fabricii Bibl. Gr. T. III. p. 242. Ittigii Proleg. ad Ioseph. T. II. p. 79. ed. Haverc.

**) Audiamus Gelenium in Epistola nuncupatoria interpretationi Iosephi suae hoc modo praefantem: „Huius scriptoris monumenta cum circumferantur, et passim ab omnibus suo merito ferantur, Rufino, ut titulus pollicetur, interprete, mihi nunquam persuaderi potuit antiquitates Iudaicas ab eo viro versas: vel quod non referant peritum utriusque linguae hominem, qualis Rufinus fuit habitus suo seculo: vel quod stilo belli Iudaici sint dissimiles . . . ac mox non defuerunt qui Latinam versionem novam requirerent: effeceruntque amici ut suscepta provincia tirocinium vertendi in eo scriptore ponerem: figlinae (iuxta prover-

exemplum cum scriptura membranae Giss. conferre non fastidierint. Quibus enim illa vitiis laborare recte dicebatur, ea nunc constat non Rufino, sed librariis eius tribuenda esse, qui omnia corrumpendo, vitiando, etiam interpolando Rufinum ex ipsius opere paene expulisse ipsorum oscitantia vel intempestiva sollertia existimandi sunt. Ostendit enim membrana sermonem pro Rufini aetate purum et elegantem, Iosephique verbis, quae consuetudo auctoris est *), pressius inhaerentem, melioribus denique quam ex quibus contextus Graecus nunc vulgaris expressus est codicibus accommodatum, ita ut ea interpretatio primariis genuinae scripturae Graecae fontibus accensenda videatur. Quid igitur? Habemus quidem in interpretatione illa typis descripta opus Rufini, sed nomine eius indignum, non sua culpa, sed temporum iniquitate, qua pristinum nitorem amisit, tandem aliquando si contigerit ei operi emaculando tales codices adhibere, qualium membrana Giss. pro specimine haberi potest, restituendum. Igitur nulla caussa est, quod Rufinum ipsum despiciamus, cuius opus sperare licet ex melioribus Mss., quos aetatem tulisse novimus, reflictum nitidiore forma proditurum esse; conquerendum potius de sorte iniqua, qua factum, ut quum id typis primum mandaretur, tales codices adhibiti sint, qui auctoris virtutes occultarent **). Addo, quod

---

bium) in dolio. Inter vertendum deprehendi non solum depravata multa in Latinis, sed etiam quibusdam locis deesse versus non paucos." Gelenio paullo aequius iudicavit Ittigius Proleg. ad Ioseph. T. II. p. 83. ed. Havercamp., qui postquam confessus est, plurimis in locis interpretem Rufinum Graeco Iosephi contextui parum respondere, sive corruptos codices habuerit; sive bonos malo sensu corruperit, idem tamen celare non vult, antiquam illam versionem interdum saniorem esse quam novam (Gelenii), et ipsi Graeco, qualis nunc est, contextui praeferendam: quod idoneis confirmat idem exemplis.

*) V. Baehrii Gesch. d. Röm. Litt. Suppl. I, 1. p. 214, quem miror Iosephi a Rufino Latine redditi mentionem fecisse nullam.

**) Haec prelo submittenti mihi affertur Emendationum Flavianarum specimen, Goringhemi superiore anno in lucem emissum, quo auctor, I. H. Holwerda de novam Iosephi operum omnium editionem a se propediem vulgandi consilio et ratione verba in praefatione faciens, Rufini his meminit: „Vetus interpretatio latina, a quibusnam confecta sit, necquisquam facile dixerit, nec tanti est quaerere. Videtur tamen constare, libros de Bello Iudaico ab alio, et eo quidem antiquiore, homine, ac reliqua

de misera Rufini, qualem nunc in exemplaribus habemus, conditione dixi, ex Glossario, quod Maius vulgavit Auct. class. T. VIII, mirifice confirmari: in quo permultis locis Iosephi Latini Annales, ut appellantur ibi Antiquitates Iudaicae, ex Rufini, ut recte visum editori p. XII, interpretatione laudantur, scripturam vulgato contextu multo puriorem et politiorem praestantes, veluti IX, 15 (14) in his: *Nomen vero huius regis in archinis tyri conscriptum est*, ut vulgatur: quorum loco Glossarium p. 8: *haec in archivis tyriis de Salmanasar conscripta sunt*, ex quo certe patet *archivis tyriis* interpreti reddendum esse, plane ut Iosephus loquitur ἐν τοῖς Τυρίων ἀρχείοις. Est etiam ubi insigni lectionis varietate Rufinus exhibetur, ut III, 12, ubi vulgo scribitur: *arietem cum agno anniculo ad holocaustum*, quae in Gloss. p. 13: *arietem autem cum agno annotino in holocaustum* exhibentur; in quibus notanda certe varians lectio *annotino*, cuius vocis gratia locum grammaticus laudat. Sed haec ex innumeris paene exemplis delibasse satis erit, persequenda curatius ab eo, qui Rufinum aliquando castigatius quam adhuc factum est, editurus sit.

Iosephi scripta, conversos esse. Nec dubium esse potest, quin seculo VI iam exstiterit. Habet omnino usum criticum haud contemnendum. Quod quale esset, superiores sensisse magis videntur, quam perspexisse. Quamobrem hoc a nobis postulari credidimus, ut eam accuratius, quam adhuc factum esset, excuteremus: itaque fecimus. Quo successu, ex iis, quae in hoc specimine protulimus, poterit existimari.“ Ac quantum ea interpretatio Latina ad refingendam Iosephi scripturam conferret, dudum perspexerat Ios. Scaliger, quod testantur huius in Iosephum observationibus, quas in lucem produxit Villoisonus Epist. Vimar. p. 81 sq. futuro Iosephi editori, ut hoc obiter adiiciam, non spernendas. Item egregie exemplo illustravit Lindenbrochius ad Terent. Eun. V, 7, 4.

IV.

De Compilatorum opera in Digestis conscribendis collocata.

In contextu Digestorum ipsis fragmentorum auctoribus quid tribuendum sit, quidve Compilatoribus, scire multum refert, tum ad restituenda verba ipsa, tum ad discernendam recteque aestimandam vim verborum. Quem locum in tractandis Digestis gravissum, cui illustrando cum fructu adhiberi posse Fragmenta iuris Vaticana bene monuit Buchholtzius p. XIII, quum supra passim tetigerim, veluti ad initium Enchiridii, nunc placet retractare in Pomponii Epistolarum fragmentis, operis amplissimi, ad minimum viginti libris comprehensi. Iam si quod scriptionum genus fuit, in quibus excerpendis concessum Compilatoribus vel potius ab ipsa muneris ratione impositum esset, ut truncando, contrahendo, mutando a primitivo scriptoris contextu recederent, id sine dubio epistolicum fuit, in quo sermonis ratio quo laxior esse solet, eo magis haec ipsa expositionis ratio ad concidendam molem invitare debuit: id quod in Pomponii epistolarum fragmentis mirum in modum factum esse videtur. Tantum enim abest ut haec fragmenta continuam auctoris manum reddant, ut eius loco orationem multis modis mutatam exhibeant. Etenim quum Pomponius in hoc opere per brevem epistolarum stilum singulos iuris civilis locos tractare animo concepisset, id ita persecutus esse videtur, ut quae amico vel clienti de iuris civilis loco aliquo ipsum sciscitato reapse respondisset, ea cum ipsis consultatorum epistolis in corpus cogeret vulgaretque. Spissum inde evasit opus, mutuis epistolis constans, in quo excerpendo Compilatores, quum ea tantum transumere ex re esset, quae ad materiam ipsam pertinerent, suo iure usi sunt, si quae

ad locum explanandum sufficere viderentur exhiberent, h. e. si quae per utrasque epistolas sciscitantis respondentisque de una re perscripta essent, in unum conflarent, servatis utcunque fieri poterat, scriptorum verbis. Quod revera factum esse age demonstremus.

D. XII, 2, 42: *Creditore qui de mutua pecunia contra pupillum contendebat iusiurandum deferente, pupillus iuravit se dare non oportere: eandem pecuniam a fideiussore eius petit: an excludendus sit exceptione iurisiurandi? quid tibi placet, rescribe mihi.* Haec aperte sunt verba quaerentis per epistolam; quae continuo sequuntur *Eam rem apertius explicat Iulianus* etc. Pomponii sunt respondentis. Alius similis locus est L, 5, 20, quo recitata principio fragmenti quadam Iuliani sententia dubia, quaeritur: *An haec vera putes? nam ego discendi cupiditate, quam solam vivendi rationem optimam in octavum et septuagesimum annum aetatis duxi, memor sum eius sententiae, qui dixisse fertur,* κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ *) ἔχω, προσμαθεῖν τι βουλοίμην. *Bellissime Aristo et Octavenus putabant* etc. Quae quum olim a nonnullis ita intellecta essent, ut de semetipso ea Pomponius enarraret, ut ipse aetatem ad octavum et septuagesimum annum produxisset, id quod ad constituendam temporum Pomponii computationem magni sane momenti fuisset, quamquam potuisset sumi, quae Pomponius hic scriberet, eum ab alio quopiam per epistolam quaesiisse, tamen collato quem supra exscripsi loco non potest iam dubium esse, ista non Pomponio, sed quaerenti tribuenda esse, illiusque responsum exhiberi a verbis *Bellissime Aristo et Octavenus* etc., quod iam vidit Augustinus Emend. I, 8. Cf. Zimmern T. I, 1. p. 336. not. 21. Loci rationem non perspexit Beckius, quum Haloandrum secutus *et bellissime* in textum susciperet. At nihil adhuc de Compilatoribus: potest enim Pomponius in conscribendis epistolis suis ita versatus esse, ut ex altera quaerentis epistola, quae respondendi ansam praebuissent, ad caussam apte explanandam in suam transumeret. Ita vero quo minus statuas obest locus IV, 4, 50, quo planissime evincitur, illam in utroque fragmento verborum conformationem a Compilatoribus pro-

*) Per socordiam editorum factum, ut ad hunc ipsum diem vulgatum sit σωρῷ, quod a loco alienum est.

fectam esse: *Iunius Diophantus Pomponio suo salutem. Minor viginti quinque annis novandi animo intercessit pro eo qui temporali actione tenebatur, tunc cum adhuc supererant decem dies, et postea in integrum restitutus est: utrum restitutio quae creditori adversus priorem debitorem datur, decem dierum sit an plenior? Ego didici ex tempore in integrum restitutionis tantundem temporis praestandum quantum supererat: tu quid de eo putas velim rescribas.* Hactenus habemus integram epistolam Iunii Diophanti, cuius argumentum in suam Pomponius transferre poterat, insulse vero acturus, si eam cum ipsa inscriptione suae inseruisset. Immo quam Diophanti epistolam in Pomponii opere repererunt, eam integram susceperunt conflaveruntque cum Pomponiana, quae responsum exhiberet, atque ita ut ex hac ea tantummodo transcriberent, quae ad rem pertinerent stricte. Etenim continuo subiiciuntur: *Respondit, sine dubio, quod de temporali actione in qua intercessit minor sensisti, puto verius esse: ideoque et pignus quod dederat prior debitor manet obligatum.* Patet *respondit* a Compilatoribus adiectum esse: quo posito, Pomponii demum sequitur responsio, ipsius auctoris verbis concepta. At fortasse, inquit aliquis, si *respondi* rescribamus, possit hoc ab ipso Pomponio profectum esse, Diophantique epistola integra aliquacunque de caussa praemissa videri, quemadmodum *respondi* Alfenus Varus similiter dixit X, 3, 26 et alibi *). Ita vero non esse, docemur ex alio Pomponii epistolarum loco XXVI, 7, 61, quo rursus quadam Aristonis sententia controversa praemissa auctor epistolae incertus quaerit; *tu quid putas?* Quid tum? Subsequenti Pomponii responsioni, quae per primam personam (*puto*) incedit, praemittitur non *respondit*, ut supra, sed ipsum nomen *Pomponius*, scilicet a Compilatoribus adiectum, iam sequi Pomponii ipsius sententiam significaturis. Ex his iam satis arbitror liquere, de duobus istis locis primo positis, quorum conditio dubia esse potest, quid statuendum sit: in quorum priore notandum post verba *rescribe mihi* in vulgata *respondi* addi, nempe *respondit*, uti scribi oportebat.

---

*) Cf. Schneider De Serv. Sulpicio I. p. 88 sq. Qui ibi tum Alpheni, tum aliorum scriptorum loci inter se contenduntur, eos patet iam ad Compilatorum potius quam ad ipsorum ICtorum mentem exigendos esse.

Subiungo unum alterumque locum ex simili Pomponii opere ad Q. Mucium scripto similiter composito. D. IX, 2, 39: *Quintus Mucius scribit, equa cum in alieno pasceretur — visum est agere posse.* Tum: *Pomponius: quamvis alienum pecus in agro suo quis deprehendisset* etc. D. XXXIV, 2, 34 Mucii praeponitur sententia: *Scribit Quintus Mucius, si aurum suum — mulieri non debetur.* Sequitur: *Pomponius: hoc ex parte verum est* etc. In quibus dubium non est, quin orationis forma ab ipso inde Pomponii nomine inserto Compilatoribus debeatur. Alia vero ratio in alterius loci verbis sequentibus, ubi §. 1. Mucii placito exposito inde a §. 2 subiicitur Pomponii sententia his: *Quod si ita legasset uxori, „aurum quod eius causa paratum erit", tunc rectissime scribit Quintus Mucius* etc. In his, quae ipsam Pomponii manum exhibent, nulla ratio eius nominis post Muciana interponendi erat. Prorsus eadem conditio D. XL, 7, 29, 1, ubi Pomponii sententia, non adiecto eius nomine, quia non opus erat, incipit a verbis: *Labeo hoc quod Quintus Mucius scribit, ita putat verum esse* etc.

Iuvat, ut haec Compilatorum ratio agendi etiam in clariore luce ponatur, Iavoleni quoque Epistolas perlustrare, quarum conditio diversa fuisse videtur. Quum enim in earum fragmentis nullum certum indicium integrae alienae epistolae corpori immissae reperiatur, Iavolenus vel ex litteris consulentium ea suscepit, quae quaestionis fundum continerent, vel statum aliquem quaestionis ab ipso fictum forma epistolari idem inclusit. Ac revera multa eius generis finxisse Iavolenum, evidenter ex eo colligitur, quod interrogatores in exponendo caussae statu fictis illis personarum nominibus appellantur, quas ad discernendas diversas partes in eadem caussa agentes ICti veteres adhibere solent, quales sunt *Seius, Titius, Maevius, Dama* etc. Posteriore hac ratione quum aliquantisper putabam Iavolenum sola usum esse, meliora edoctus sum inspecto loco XXXVI, 1, 46, quo minime de caussa ficta agi patet, sed quo res vere facta enarratur, adiectis simul nominibus personarum, muneribusque, quibus eae functae sunt, ut probabiliter coniicias, ea de re, quae in litem inciderat, Iavolenum consultum fuisse. In hac igitur operis indole Compilatorum laborem multo minorem in excerpendo fuisse oportet, quam in epistolis Pomponii. Duplex iam in Dig. reperitur ratio, qua responsio praemissae quaestioni exhibetur. Quaestioni aut

subiicitur *respondi*, aut *respondit*, quorum illud sane ab ipso auctore profectum esse potest, altera formula rarius repertum, et his quidem locis: VIII, 4, 5. VIII, 5, 12. XVIII, 1, 64. XXVIII, 3, 15. XIX, 5, 10. XXXVI, 1, 46. Ex quibus loci duo postremi certo docent, *respondi* illud Iavoleno deberi, quod responsionis continuo subsequentis forma imperfecta est. supplenda ex verbis praecedentibus. Exempli gr. priorem locum affero: *quaero an ab herede mulieris pecunia, quae fruendi causa data est, repeti possit, et qua actione; respondi, in factum actionem dari debere.* Addo quod ubi *respondi* legitur. in iis quae sequuntur praesertim primae personae locus datur. Aliter vero res habet, ubi *respondit* ponitur, cuius loco cave credas reponendum esse *respondi.* Hoc enim dubitari non potest quin Compilatoribus debeatur, quibus id apponere necessarium videbatur ad respondentis verba a quaestione melius discernenda; quod putaram, verba quae tum sequuntur, indicia mutati paulisper ab iis contextus genuini exhibere, quemadmodum etiam extra epistolarem stilum *respondit*, contracta a Compilatoribus vel accommodata auctoris oratione, in alius generis scriptis inculcatum fuit *), id secus reperi.

---

*) Scaevola L, 9, 5: *Quaesitum est, an poenam sustinere debeat. qui ignorans adversus decretum fecit? Respondit, et huiusmodi poenas adversus scientes paratas esse, ubi*, quod obiter adiicio, sententia flagitat ut restituatur *nescientes.*

V.

De fragmentis iuris Vaticanis.

Ex quo nova haec iuris anteiustinianei fragmenta Ang. Maius a. 1823 ex codice Vaticano in lucem protraxit, quum a iuris prudentibus intelligeretur, tum ad recte aestimandam doctrinam in iis traditam, tum ad rationem eam, quam cum ceteris iuris Romani instrumentis ea haberent, cognoscendam, in aetate certe, qua confecta essent, exploranda (nam de auctore ipso eius compilationis frustra quaeri videri statim perspectum fuit) ante omnia elaborandum esse: omnium, qui gravissimum hunc locum inprimis tractarunt, post Schraderum et Wenckium *), nemo exstitit qui subtilius et verius explicuerit Guilelmo de Schroeter **), cui rem ad octo annorum discrimen, intra quos opus confectum esse debuerit, redigere contigit. Quem tametsi nemo repertus fuit, qui refutare curatius ausus esset, tamen, excepto uno, quem novi, Zimmernio T. I. p. 33, harum rerum arbitri sequi recusarunt, ampliore aliqua et vaga aetatis descriptione contenti, qua scriptus liber putaretur intra a. 372, quo novissima constitutio scripta est, fragmentis inserta, et a. 438, quo Theodosianus codex vulgatus est: quam sententiam a Schradero propositam, a Buchholtzio p. IX probatam, Puchta secure repetiit Institutionen T. I. p. 648. Quid? quod in Mackeldeii Lehrb. d. heutig. Röm. Rechts editione a. 1842 vulgata illa etiam ab Hugone olim excitata suspicio, ne pro reliquiis codicis Hermogeniani ea fragmenta habenda sint, dudum illa explosa a Schroetero p. 367, et reiecta a Buchholtzio p. 298, sine nota ulla editoris iterata est,

*) Buchholtz. Fragm. Vatic. p. VIII.

**) Schmidii Hermes 1826. Vol. XXV, 2. p. 367 sq.

§. 57. T. I. p. 72. Haec quum ita sint, postquam etiam Wenckii sententiae, nullo modo ferendae, Schroeterus satis scienterque respondit, scilicet fragmenta libri eius esse arbitrati, quem absoluto Constitutionum codice, tum ex Constitutionibus adhuc receptis tum ex scriptis prudentium componi Theodosius II iussisset, non inutile mihi visum est opus, sententiam Schroederi, in quam et ipse ultro olim incideram, verbo renovare et, si fieri posset, etiam magis firmare: quem laborem fateor eo lubentius me suscepisse, quo ita veritati et simul necessitudini veteri, quae cum Schroetero amico tam muneris eiusdem officio, quam familiari consuetudine mihi olim Ienae intercessit, planius satisfacere mihi visus sum.

Summam sententiae suae Schroeterus his comprehendit p. 370: „Wir halten das Werk für eine in Italien (oder überhaupt im Occident) gefertigte Bearbeitung *), Ausführung von Valentinian's Citirgesetz, mit Einschaltung der von dem Verfasser für wichtig gehaltenen Constitutionen. Die Abfassung setzen wir zwischen das Jahr 429, wo das Citirgesetz, und das Jahr 438, wo der Theodosianische Codex publicirt wurde. Wir halten es für eine Privatarbeit, die sich der damaligen Praxis sehr empfohlen haben, in Italien, und vielleicht nur in Oberitalien, bis zum Untergange des ostgothischen Reiches und der dadurch veranlafsten Einführnng der justinianeischen Sammlungen viel benutzt seyn, und sich im heutigen Piemontesischen Savoyen, der Schweiz, vielleicht auch im südlichen Frankreich noch länger unter der germanischen Herrschaft erhalten haben mag.“ Quam sententiam suam auctor acutissimus argumentis firmavit tam idoneis, ut qui repudiarunt, vim eorum non satis ponderasse videantur, praesertim eius quod primo loco posuit et pro rei gravitate, quoniam in eo omnis cardo vertitur, iusto brevius fortasse auctor his elocutus est: „Die auffallende Erscheinung, dafs Papinian, Paulus, Ulpianus, die Grundlage des Ganzen, und einige andere Juristen nur nebenher berührt sind, besonders aber Iulian, neben welchem ausser anderen auch Scaevola (p. 25), Sabinus (p. 21, 22, 26, 27) und Marcellus (p. 25) genannt werden. Das Letztere pafst treffend zu den Worten des Citirgesetzes „Eorum quoque scientiam, quorum tractatus atque sententias praedicti omnes suis

*) Idem statuit Buchholtz p. IX.

operibus miscuerunt, ratam esse censemus ut *Scaevolae, Sabini, Iuliani* atque *Marcelli,* omniumque quos illi celebrarunt." " Haec Schroeterus, qui apte quidem hunc Constitutionis locum contulit, plus vero quam par est ex eo collegit, quum quandequidem in Fragm. Vat. praeter dictos ICtos etiam alii citantur, veluti Pomponius aliique permulti, casu factum esse possit, ut nomina ICtorum utrobique laudata conveniant, quumque praesertim in Constitutione ceteri qui non nominati sunt non excludantur. At multo efficacius est quod primo Schroeterus loco posuit, quamvis rem potius significaturus, quam disertis verbis explanaturus. Etenim quum Theodosius praecepisset, ut in tanta librorum iuridicorum multitudine sententiarumque discrepantia sola scripta Papiniani, Pauli, Gaii, Ulpiani et Modestini et quae his aliorum ex ICtorum operibus immista essent, rata et firma putarentur: casu admodum miro evenisset, si qua iuris civilis ecloga, quam circa illam fere aetatem conditam esse uno ore consentiunt omnes, quaeque ad edicti Valentiniani normam composita est, conscripta esset, quin auctor operis consilium suum ad principis voluntatem accommodasset. Rem vero ita habere Fragmenta ostendunt. Attente enim opus perlustranti patet, praeter Constitutiones nonnullas, quas corpori inserere neque vetitum neque ineptum erat, immo ab ipsa re postulabatur, conflatum esse totum opus ex scriptis iis ICtorum solis, quae principis voluntate rata essent, iisque aliorum sententiis excerptis, quae illorum in operibus laudatae essent. Iam vero obiicienti, quum ex Pauli, Papiniani, Ulpiani quidem scriptis fragmenta exhibeantur *), nulla ex Gaii,

*) Fuerunt qui etiam plures ICtos numerarent, sed falso: v. Buchholtz. p. 295. Atque etiam Iulianum fortasse adhibitum esse, arbitrabatur Zimmern. T. I. p. 32. Sed quae istius nomine exhibentur passim fragmenta, ea non ex ipsius operibus ab auctore excitari, sed ab iis ICtis allata esse, quibus in conscribendo suo opere auctor usus esset, vel ipsa ratio, qua ista laudantur, satis prodit, veluti p. 23 (§. 76): *Iulianus scribit: Si servo communi — esset relictus.* Sequuntur continuo: *Sed qui diversam s. ntentiam probant, quid dicerent?* etc. quae loquentis, h. e. Ulpiani, non possunt non esse verba, quibus Iuliani placitum, quod suum fecit, defendere studet. Atque haud multo post l. l. Ulpianus *ut Celsus lib. XVIII Dig. et Iulianus scribunt,* et rursus *Iulianus lib. XXXV scribit,* et *Neratius putat,* quae manifeste Ulpiani sunt verba. Longe diversa laudandi

nulla ex Modestini afferri, id quidem concedendum est, nec tamen quod hinc colligi posse videatur; nam in hac operis integri amplissimique iactura quae ex his ICtis allata fuerant, possunt interiisse omnia. Neque ita ut statuamus utique cogimur, quum sumere liceat, aliquacunque de caussa, de qua minime equidem laboro *), auctorem, quamvis ad praescriptam normam edicti universe sese applicantem, ab opere suo et Gaii et Modestini scripta exclusisse. Itaque nihil est quod sententiae propositae valde adversetur.

---

ratione auctor utitur in excerpendis triumvirorum illorum, quos compilat, scriptis. Alios locos, quibus Iulianus a compilatore excerptus videri posset, in examen vocavit recteque compunxit Buchholtzius p. 296.

*) In ampla ea operis parte, quae *de excusationibus* agit, cur Modestinus laudatus non sit, valde probabilem caussam ostendit Zimmern. T. I. p. 34.

VI.

De codicum Gregoriani et Hermogeniani appellatione.

Quod in capite superiore facere instituimus, ut quum nova in medium proferre non liceret, vetustis, quae nostrae aetatis homines aut non satis perpendissent, aut fastuose sprevissent, fidem restituere studerem: idem etiam hic faciendum sustinebo, quandoquidem in re dudum explorata atque manifesta vel a iuris peritissimis hodienum secus statui video. Agam de codicum Gregoriani et Hermogeniani auctoribus, vel ut accuratius loquar, de nominibus eorum genuinis: nam de auctoribus ipsis nihil omnino liquet, neque quod ad aliquam probabilitatem accedat video a VV. DD. allatum quidquam. Quam quaestionem qui levidensem esse iudicent, ii velim in animum sibi inducant, de ipsis auctoribus, quorum aetates et conditiones perquirere tanti visum est, non antea recte quaeri posse, quam quo nomine ipsi appellati fuerint, in comperto habuerimus. Quod non fugit superiorum aetatum ICtos peritissimos, qui de nominibus istis constituendis studiose quaererent: hi quum diverso modo statuissent, ut aut *Gregorianum* et *Hermogenianum*, aut *Gregorium* et *Hermogenem* istorum codicum auctores audiisse censerent, quorum sententiam illam inprimis Schultingius, hanc Heineccius, Ritterus, Cannegieterus sustinuerunt, tandem rem retractandam Pohlius*) in se suscepit, atque eo animum suum inclinare p. 14 et 20 professus est, ut genuina nomina *Gregorius* et *Hermogenes* fuisse contenderet. Contra vero qui multis post annis

*) Commentat. hist. de codicibus Gregoriano et Hermogeniano, Lipsiae 1817.

rem denuo in examen vocavit, Iacobsonus *) unice vera esse nomina *Gregorianus* et *Hermogenianus* pluribus demonstrare enisus est: quicum qui eodem anno ea de re verba fecit, prorsus consensit Zimmernius T. I p. 163, hic tamen ut novi nihil ad litem componendam afferret. Quos potissimum, ut in re comperta et extra omnem dubitationem posita, ubi istorum nominum mentio facienda esset, ad unum omnes, quantum sciam, secuti sunt, veluti Hugo, Mackeldeius, alii, et novissimo tempore Puchta Institut. T. I. p. 642 et 643. In hoc rei statu ex re visum est, totum hunc locum resumere atque ita tractare, ut eorum potissimum argumentorum, quibus sententiam suam Iacobsonus sustineri posse putaret, pondus examinaretur. Proficiscendum est in hac quaestione ab indubiis Theodosii et Iustiniani testimoniis, quorum hic in Praef. de codice faciendo: *quae tribus codicibus, Gregoriano, Hermogeniano atque Theodosiano continebantur*, et de cod. confirmando: *tam trium veterum, Gregoriani, Hermogeniani atque Theodosiani codicum constitutiones:* ille Cod. I, 1 de const. princ.: *Ad similitudinem Gregoriani atque Hermogeniani codicis colligi constitutiones decernimus*, et Praef. de auctoritate cod. Theod.: *Theodosiano codice non referuntur.* Quibus locis adde ex Gestis in senatu de recipiendo cod. Theodos. p. 3. ed. Puggaei: *ordinarius legit ex codice Theodosiano.* Putidum est notare, sed tamen ut notetur res flagitat, nomina *Gregorianus, Hermogenianus* locis laudatis non posse non adiectivi vices gerere, eodem modo quo dicuntur in eodem Theod. Cod. X, 6 tit. de grege dominico *Palmatii et Hermogeniani equi*, qui rursus XV, 10 tit. de equis curulibus appellantur *Palmatiis et Hermogenis equis* **). Habemus igitur vulgari modo iunctum substan-

*) Diss. crit. de codicibus Gregoriano et Hermogeniano, Regimontii Boruss. 1826.

**) Ita vulgatur in Hugonis editione, me non probante, quandoquidem non de equis agitur, qui sint Hermogenis, sed qui a nomine eius dicti sint Hermogeniani, quo sensu non potest non Latine dici *equi Hermogeniani.* Res facillime expeditur si *Hermogenis* ex compendiose scripto *Hermogenianis* ortum mecum statuas. De origine eius appellationis quaerenti vix aliter statuendum erit quam ut *Hermogeniani* dicti sint equi ab Hermogene quodam, qui equorum gregem eximii sanguinis vel virtutis aluerit, ex quo orti summo auri librae pretio empti essent, id quod ex fisco praestari posse ipse Theodosius Cod.

tivo adiectivum, cuius origo minime est incerta. Quemadmodum enim a *Theodosius* fit *Theodosianus*, ita a *Gregorius* et *Hermogenes* evadit *Gregorianus* et *Hermogenianus*. Itaque nihil vidit Puchta l. l., qui quum nominum, quibus codices inscripti essent, aliquamcunque rationem reddendam esse sentiret, ea nihilo secius a nominibus auctorum ficta esse pronuntiavit: quae vereor ne imprudentius, quam a tali viro exspectari debuisset, iacta sint. Nam quum, ut hoc statim addam, vir acutissimus *Gregorianum* et *Hermogenianum* unice auctores codicum agnoscat, ista si sensum habent, non possunt alium habere, quam ut quum *Gregorianus* et *Hermogenianus* simul adiectiva sint, eorum nominum promiscuus usus fuerit, ut sine ullo formae discrimine et ad personas et ad res, quae ab iis profectae essent, designandas serviissent: id quod a consuetudine Latini sermonis prorsus abhorret. Longe enim diversa usus ratio est in voce *Palmatius*. Ac recte iam olim observatum est, a Gregoriano et Hermogeniano auctoribus codices si nomen duxissent, oportere eos *Gregorianeum* et *Hermogenianeum* appellatos esse. Eodem iure *codex Iustinianus* dici potuisset, quod nemo umquam veterum vel nostrae aetatis hominum dicere ausus est: immo *codex Iustinianeus* dixerunt, quemadmodum ipse conditor dixit Cod. de emendat. cod. domini Iustiniani, extr. et alibi. V. Zimmern. T. I. p. 158. Falluntur igitur quicunque de *Hermogeniano* et *Gregoriano* illorum codicum conditoribus loquantur, mirifice. Etenim si haec ita sunt, ut dixi, neque aliter res habere potest, si agatur cum hominibus Latine loquentibus, necesse est ii loci, ex quibus fuerunt qui conditorum nomina *Hermogenianus* et *Gregorianus* comprobari existimarent, aut in vitiosis habendi, aut alio modo explicandi, aut denique a quaestione secludendi sint. In qua profliganda ducem sequamur eum, qui ultimus in ea re dilucidanda elaboravit, Iacobsonum, non quod is novis idoneisque rationibus sententiam suam firmarit, sed argumentandi rationes novissime praestiterit.

X, 6 permittit. De Hermogene certi quidem nihil liquet; sed admodum probabilis est Gothofredi sententia, dictos equos esse ab Hermogene Pontico, qui sub Constantio imp. praefectus praetorio et magister equitum fuisset. Itaque ut a Palmatio Cappadoce, ut egregie idem Gothofredus ostendit, equi *Palmatii* appellati sunt, ita ab Hermogene Hermogeniani.

Atque quae primo p. 12 de erroribus librariorum Iacobsonus commemoravit, qui in nominum propriorum terminationibus *us* et *anus* scribendis facillime labi potuissent et saepenumero lapsi essent *), ea quo modo ad rem expediendam aliquid conferant non perspicio, quum de vitiosa scriptura locorum, quibus istorum Codicum mentio fit, minime agatur. Si enim res ex prava manuscriptorum lectione iudicanda esset, in alteramutram partem facili negotio componi posset. Sed gravissimi, quod subiungitur p. 13, ponderis est, Gregoriani codicis auctorem nusquam *Gregorium*, persaepe autem *Gregorianum* vocari: quorum illud vere monetur, et sine rei periculo concedi potest; hoc quam verum sit, posthac videbimus. Ac primum de locis quibusdam in Collatione legum Mosaicarum et Romanarum disserendum est, quibus nomine *Gregorianus* non Codicem, sed hominem significari Iacobsonus p. 14 contendit, significarique videri iam olim Schultingius monuerat. Ibi legitur I, 8: *Gregorianus libro IV ad legem Corneliam de sicariis et veneficis talem constitutionem ponit.* Item §. 9; similiter §. 10. Tum III, 4: *Gregorianus libro XVIIII sub titulo de accusationibus.* Eodem prorsus modo VI, 4. X, 8 et XV, 3. Item VI, 8: *Ermogenianus sub titulo de nuptiis.* Atque similis conditionis esse Iacobsonus contendit quod alibi dicatur *corpus Gregoriani*, conferendum cum *corpore Ulpiani:* de quo dicendi genere statim dicetur. Omnibus his locis concedit v. *codex* suppleri posse, etsi non semper supplendam esse censeat. Hoc quid sibi velit equidem non intelligo. Unum hoc video, posse quidem illis locis auctorem ipsum intelligi, posse vero etiam eodem iure Codicem, idque comprobari eo, quod etiam *Theodosiani* nomine simplice Codex Theodosianus appellari soleat, ut in Consultat. veteris iurisconsulti §. 3. p. 816 ed. Schulting., ubi, ut in phrasi illa speciosa a Iacobsono allata, citatur *Ex corpore Theodosiani lib. II.* Plura exempla eiusdem usus dabit Pohlius p. 14. Quid? quod ibidem pag. seq. §. 5 legitur: *Ex corpore Hermogeniani*, ex quo loco solo Mackeldeius Institut. §. 54. T. I. p. 66. demonstrari posse existimabat, Codicum conditores *Gregorianum* et *Hermogenianum* appellatos fuisse. Porro ibid. §. 1 et 2 *Ex corpore Gre-*

*) Exemplum modo exhibuimus ipsi in eodem, de quo agitur, nomine *Hermogenianus.*

goriani, et hic passim. Addam apud Hugonem Iur. anteiust. T. I. p. 272 in varietate lectionis fragm. cod. Hermog. ex G. [Genevensi editione?] afferri *Inc. lib. Herm. ex corpore Gregoriani.* His de omnibus locis iam quid statuendum sit, ambigi amplius non potest, quandoquidem recte dictum est *ex corpore Theodosiani*, de quo nullus locus dubitandi est. Neque aliter Graeci αἱ ἐν τῷ Ἑρμογενιανῷ καὶ Γρηγοριανῷ διατάξεις, et rursus ἐν τῷ Ἑρμογενιανῷ κώδικι, bene haec, sed aliam ob caussam, inter se contendente Zimmernio T. I. p. 159. Quae si pluribus quam res tam perspicua postulare videretur persecutus sum verbis, quum praesertim ea argumentandi ratio iam ab aliis, de quibus v. Pohlium l. l., occupata fuerit, id factum est propter pertinaciam eorum, qui etiamnunc illis testimoniis ad sustentandam ipsorum sententiam a veritate recedentem abuti pergunt.

His positis via ad scrupulos multo molestiores eximendos satis nobis munita videtur. Sunt enim, ait Iacobsonus, alii loci, quibus personae auctorum indubie significatae sint: ex quo genere sit locus Interpretationis Cod. Theod. I, 4: *sed ex his omnibus iuris consultoribus, ex Gregoriano, Hermogeniano, Caio, Papiniano et Paulo, quae necessaria causis praesentium temporum videbantur, elegimus.* Possunt, fateor, hic intelligi auctores ipsi: sed loco toto accurate examinato patet, non de auctorum personis, sed de libris eorum vel corporibus, ut ibidem appellantur, agi, ita ut quum nominibus Gaii, Papiniani et Pauli minus ipsorum personae quam scripta significentur, iuxta ea etiam codices Gregorianus et Hermogenianus tamquam sub auctorum, vel, ut in Interpretatione legitur, iuris consultorum personis recte appellari potuerint, modo prorsus eodem, quo in Collatione legum Mosaic. inter auctores Ulpianum, Papinianum cet. Hermogenianum, intellectis codicibus, inseri iam constat. Eademque ratione eorum codicum mentio fit in loco Interpretationis illis verbis supra laudatis proxime praemisso, a Iacobsono non descripto: *Gregorianum vero et Hermogenianum ideo Lex ista praeteriit, quia* etc. quo seorsim spectato nemo ambigeret, quin personae, non codices intelligendi essent. Neque alio sensu accipienda esse earum auctoritatum nomina in Breviario Alariciano, huius ipsa docet Praescriptio: *In hoc corpore continentur leges sive species iuris de Thodosiano et diversis libris electae.* Adde quod

tituli singuli ex illis Codicibus in Breviarium adsciti hac inscriptione, quae ex sola, quantum sciam, editione Sichardiana cognoscitur, laudantur, veluti *Codicis Gregoriani liber* . . . et *Hermogeniani corporis liber:* quae postrema inscriptio quo modo accipienda sit, Interpretatio subiecta ostendit, qua postquam laudatum est *corpus Theodosianum,* eodem sensu paucis verbis post scribitur *legem ex Hermogeniano credidimus adiungendam,* ubi *corpore* supplendum esse nemo non videt.

Sed satis horum et si qui sunt similium locorum, facile expediendorum: quod non cadit in Augustini locum, magna cum veritatis specie a Iacobsono allatum: quo sane aegrius vocem *codex* suppleas. Augustinus enim, Antonini imp. constitutionem laudaturus, his verbis usus est, ad Pollentium de coniugiis adulterinis II, 7. p. 1752. ed Bassan.: *Nam supra dicti imperatoris haec verba sunt, quae apud Gregorianum leguntur: Sane, inquit, meae litterae* etc. ubi sane ut auctor, non opus auctoris intelligatur praepositionis *apud* usus postulare videtur. V. Handii Tursell. T. I. p. 409. Ac fateor eius dicendi rationis aliud me non nosse exemplum. Sed in promptu sunt nonnulla admodum similia, veluti quod dixit Ulpianus Dig. XLVIII, 19, 9, 2: *Potest et ita interdici cui, ne apud tribunal Praesidis postulet: et tamen apud legatum, vel procuratorem non prohibetur agere.* Iustin. Cod. VII, 61: *is refutatorias preces similiter apud acta sine aliqua frustratoria dilatione offerat.* Postremo ne sciens quid omisisse arguar, quod sententiae a me sustentatae adversari videatur, producam ipse in medium testimonium ab Iacobsono haud scio an consulto neglectum, a Puchta vero p. 644, quoniam ad codicem Hermogenianum referri posse videretur, post alios repetitum, apud Sedulium Praef. paschalis operis p. 418. (Bibl. Patr. T. V): *Cognoscant Hermogenianum doctissimum iurislatorem tres editiones sui operis confecisse* *).

---

*) Apud Sedulium quae praecedunt afferam in transcursu hic vitio emaculanda: *Si qui tamen istud obiiciant, faciunt nec intelligendo ut nihil intelligant,* quae absurda sunt. Imitatus Sedulius est manifeste Terentii illud notissimum Andr. prol. 17:

faciuntne intelligendo, ut nihil intelligant,

quo loco quum Donato teste inter antiquos magistros fuerint, qui legerent *faciunt nae,* ambigas scripseritne Sedulius *faciunt*

Quo loco quum fuissent, qui vel codicis Hermogeniani auctorem significari eo lubentius censerent, quo quam de auctoris aetate coniecturam concepissent, eo firmius ex ter repetitae editonis mentione stabiliri posse crederent *), vel Hermogenianum eum intelligi existimarent, cuius ex Epitomarum opere fragmenta Digestis inserta legerentur: Pohlius cautius de eo loco iudicavit, quum ex Sedulii verbis non liqueat, utrum opere intelligat Codicem, an libros Epitomarum iuris, an forte alium librum nobis plane incognitum, rem in medio relinquere se malle, quam certi aliquid definire, prudenter professus, p. 31. Itaque ut a quaestione nostra plane alienum tuto testimonium illud Sedulii seponi potuisset, nisi ex re videretur admonere, quum *Hermogeniani*, puta eius qui codicem conscripserit, persona iam ad fabulas migrarit, de alio quopiam homine necessario anquirendum esse. Addo nihil mihi quidem obstare videri, quo minus a Sedulio epitomarum auctorem dici cum aliis putemus: simul vero etiam, si quae supra posui certa sunt, de sententia eorum actum esse, qui codicis Hermogeniani auctorem ab Epitomatore illo, si quidem iure suo *Hermogeniani* nomine appellatur, ut opinor **), nihil diversum esse statuerent; quam sententiam etiam alias ob caussas improbandam esse post alios ostendit Puchta p. 648. Cf. Zimmern. T. I. p. 162. Si quis autem, ut verbo ad Sedulium redeam, eo quod Hermogenianus *iuris lator* dicatur, adduci se patiatur, ut potius de Codicis alicuius quam iuris civilis auctore sermonem esse credat, is recogitet eodem sensu *lator* reperiri in his Cod. Theod. Const. de auctoritate cod. p. 280 ed. Hugo: *nullius latoris occidat nomen*, ubi non possunt non iuris prudentes intelligi.

---

nae, an quod nunc in Terentio vulgatur *faciuntne*, interrogativa orationis forma adoptata.

*) V. Zimmern. T. I. p. 161 et Puchta l. l.

**) Uno loco D. IV, 4, 35 in vulgata exstat *Hermogenes* pro *Hermogenianus*, quod merito ex Flor. revocatum est. Munitur ea nominis forma non solum ceteris eius ICti fragmentis in Digestis, ubi nulla fertur lectionis varietas, sed etiam Indice Florentino. Praeterea multo proclivior librariorum est lapsus ex *Hermogenianus* in *Hermogenes*, quam contra.

VII.

De Solonis lege de sodalitiis Gaio commemorata.

Septemdecim fere abhinc annis Carolo Sellio, ICto nunc Bonnensi, tum ad rite impetrandos summos in utroque iure honores theses in hac Ludoviciana litterarum universitate publice defendente quum in iis, qui adversariorum partes in se susceperant, cum iuvene doctissimo non serio expostulaturi, sed disputando eruditionis haud mediocris dudum probatae publicum documentum ipsi edendi occasionem suppeditaturi, ego quoque essem, ipsi, fratri, nuper, eheu! collegae meo, totique familiae Selliae vetere ex tempore multis necessitudinis nominibus iunctus: de thesi quinta a Sellio proposita, quae in restituenda lege Solonis a Gaio ad XII Tab. D. XLVII, 22, 3 (de collegiis et corporibus) servata versabatur, verba feci, non quo hunc locum corruptissimum persanare sustinerem, sed quum ab aliorum, tum etiam ab Sellii ipsius tentaminibus defenderem. Quem locum si nunc repetere iuvat, eum animus fert ita retractare, ut pristino nitori, quantum id per coniecturalem opem fieri potest, restituatur. Etenim is locus in iis referendus est, qui pro ipsorum indole antiquam labem contraxisse putandi sint, quique quo graviore ulcere laborant, eo validiorem medicinam poscant: in qua adhibenda dolendum est, destitui nos auxilio Schellingii, qui quum de Solonis legibus nuper verba faciebat, pro consilio ipsius et ratione operis ipsi praescripta hanc legem omittere debuit *).

*) Herm. Schellingii De Solonis legibus apud oratores Atticos dissertatio, Berolini 1842.

Ac primum ex ipso Flor. locus, qualem Gebauerus immutatum exhibuit, cum ipsis quae praecedunt verbis describendus est.

Gaius libro IV ad legem XII Tabularum. Sodales sunt, qui eiusdem collegii sunt: quam Graeci ἑταιρίαν *vocant. His autem potestatem facit lex, pactionem, quam velint, sibi ferre: dum ne quid ex publica lege corrumpant. Sed haec lex videtur ex lege Solonis translata esse: nam inluc*) ita est:* Ἐὰν δὲ δῆμος, ἢ φράτορες, ἢ ἱερῶν ὀργίων, ἢ ναῦται, ἢ σύνσιτοι, ἢ ὁμόταφοι, ἢ θιασῶται, ἢ ἐπὶ λίαν οἰχόμενοι, ἢ εἰς ἐμπορίαν: ὅ τι ἂν τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους, κύριον εἶναι, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα.

His statim subiungam verborum Graecorum interpretationem veterem non una discrepantia, de qua infra, insignem: *Si autem plebs, vel fratres, vel sacrorum sacramentales, vel nautae, vel confrumentales, vel qui in eodem sepulcro sepeliuntur, vel sodales, qui et multum simul habitantes sunt: enimvero ad negotiationem, aut quid aliud: quidquid hi disponent ad invicem firmum sit, nisi hoc publicae Leges prohibuerint.* Anteaquam de singulis, quae in hoc loco vel eruditum lectorem morari possint, loquar, necesse videtur ut de totius legis formula dicam, in qua expedienda VV. DD. mirifice lapsi sunt. Quaeritur enim ante omnia de verborum constructione, quam plurimi sic constituerunt, ut apodosin a verbis ὅ, τι ἂν incipere inberent, veluti Gebauerus, qui ea de caussa post ἐμπορίαν colon pro commate, quod est in Flor., posuit, quem secuti sunt Kriegelii; vel Beckius, idem se sentire, versione Latina, quam subiecit, professus, *si autem plebs, vel fratres . . . vel ad praedam abeuntes, vel ad mercaturam, quidquid horum dis-*

---

*) Recte, opinor, nunc *illic* vulgatur pro *inluc*, ut est in Flor. Modo loquendi eodem usus est Gaius in eodem libro IV ad legem XII Tab. D. X, 1, 13, in afferenda quadam Solonis lege. Ceterum utar hoc Digestorum loco, ut alio exemplo ea firmem quae ad Pompon. §. 2. *Romulum traditur . . . divisisse* attuli. Illic enim leguntur: *quam* [legem] *Athenis Solonem dicitur tulisse*, ubi neque opus est cum Haloandro scribere *Solon*, neque ex cod. Regimontano *Solonem dicunt*, quam lectionem recipiendam suadebat Dirksenius Zwölf-Tafel-Fragmente p. 469.

ponant inter se, firmum sit etc. Quae construendi ratio ideo admitti nequit, quod quae voce τούτων designentur non perspicitur: non potest enim, ut sensum accipiat, aliorsum quam ad pacta referri, de quibus inter eas collegas, qui ante nominati sunt, convenerit; nihil vero in istis inest pactorum, sed paciscentium tantummodo mentio iniicitur. Atque hoc bene sensisse videtur interpres vetus Latinus, quum in eadem constructionis ratione verteret *quidquid hi disponent*, quasi in codice suo reperisset scriptum οὗτοι pro τούτων, id quod tum sane aptissimam loco foret. Idemque sensisse Kriegelii quoque videntur, Latine vertentes *quidquid hi disponant*. Iam quum durius sit, τούτων in οὗτοι mutare, quod in tam perspicuo sensu quo modo in illud abire potuerit haudquaquam intelligitur, tum constructio verborum eo laborat, quod nominativi δῆμος, φράτορες etc. verbo suo carent, quod si ex seq. διαθῶνται supplendum putaveris, haud ferendam anacoluthiam efficies. Igitur ad rationem eam redeundum est, quam primus, ni fallor, Haloander, admirabilis vir in paucis acuminis, instituit: qui quum intellexisset ὁτιοῦν pro ὅ τι ἂν scribendum esse, omnia quae ante κύριον essent ad protasin pertinere vidit; vertit enim: *quod si populus, vel eiusdem religionis cultores . . . paciscantur inter se: ratum esto* etc. Neque aliter locum accepisse Sellius videtur, quum correctum a se scilicet ita exhibet ἢ εἰς ἐμπορίαν ὅ, τι οὖν τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους, κύριον εἶναι etc. Sed tametsi de generali membrorum conformatione quantum ad protasin et apodosin nunc liqueat, tamen ei loci constructioni minime convenit ὁτιοῦν, tum quod nulla adest copula, qua praecedentibus, ut par est, iungatur, tum si cum verbis proxime praepositis copulemus, quae Sellii sententia fuisse videtur, necesse est illuc etiam verbum διαθῶνται trahamus, quo fit, ut subiecta suo verbo destituantur, quod in explicatione superiore iam reprehendimus. Atque imperfectam et mancam hac parte orationem esse rursus Haloander vidit, quomodo locus olim conceptus fuerit quove modo supplendus de mente auctoris sit, in versione Latina elocutus: „quod si populus... vel in societatem coëmendorum pecorum, aut negociationis, *aut cuiuscunque alterius rei coëuntes, paciscantur inter se.*“ Quae ut verissima sententiae explicatio est, ita facile viam ad coniecturam, pridem a me factam, ducit, qua confidimus locum in pristinam suam formam restitutum iri.

Etenim scribendum ἢ εἰς ἐμπορίαν ἢ ἀλλοτριοῦν διαθῶνται, in quibus quo modo elementa ΗΑΛΛΟ excidere potuerint non est quod ostendam pluribus. Qua coniectura probata, cuius fidem suppeditat Interpres vetus, qui quum *aut quid aliud* exhiberet, eandem lectionem in codice suo non potest non reperisse, omnia tam bene procedunt, ut vel hac ipsa sententiae facilitate maximam probabilitatis ea speciem nanciscatur. Etenim quo τούτων iam referamus, haud amplius dubitabimus, si quidem non iam ad pactionem de re quacunque, quam supra nominati omnes pro sua quisque conditione inire possent, sed ad eius generis societatem aliquam pertinet, quae earum rerum similis esset, quae in proximis designatae sunt, h. e. praedationis et negotiationis. Pendet igitur phrasis a participio οἰχόμενοι, in qua constructione si εἰς ante ἀλλοτριοῦν desideraveris, id propter artissimum nexum, quo haec cum verbis praecedentibus iunguntur, salva sententia omitti potuisse concedes. Denique quod διαθῶντας simpliciter sine obiecto dicitur, in eo haud magis laborandum. In alia Solonis lege Demostheni in Macartatum laudata ap. Petit. p. 584. Wess. exstat: ὅστις ἂν μὴ διαθέμενος ἀποθάνῃ *). Rursus Isaeus de hered. Apollodori p. 88. Bekk. ἔστι δὲ νόμος, ὃς ἐὰν ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ ἄπαις τελευτήσῃ, καὶ μὴ διαθέμενος. Ceterum latuisse vix quemquam potuerit, a Gaio legis partem tantummodo posteriorem, quae in rem suam faceret, transcriptam esse, quod vel sola particula δέ, cui in priore μὲν praecesserat, docet, priorem-que manifestum est constituisse, quorum pacta rata non habenda essent, quippe a sodalitiis profecta, quae licita non fuissent, qualia ea coniicias fuisse, quae olim ἑταιριῶν nomine comprehensa fuerunt: horum enim nomen in Solonis lege locum habuisse, mentio eius apud Gaium facta ostendere perspicue videtur.

Constituta iam universali fragmenti sententia et forma, de singulis dicendum. Atque initio quidem non morandum, quandoquidem manifestum videtur, populares et phratores intelligi, atque illos ita quidem, ut non singuli aliqui demotae, quod sensisse videtur Salmasius ad Ius Attic. c. 4. p. 99, iam Schultingio improbatum, sed universi, qui demum conficiant, designentur,

*) Afferuntur ex Aristot. Pol. II, 9 in Steph. Thes. Paris. v. διατίθημι haec: κἂν ἀποθάνῃ μὴ διαθέμενος; sed loco indicato reperire ego non potui.

quod secus fit in phratoribus: quare scriptum in lege δῆμος, non δημόται, contra vero φράτορες: ὁ δῆμος, quod ut rescriberetur, Haloander suadebat, prorsus alienum. Difficilior est ratio subsequentis loci, qui de sacerdotibus agit: quo quum plurimi perspexerint integram esse non posse lectionem a Flor. suppeditatam, ἱερῶν ὀργίων, in eo redintegrando certatim elaborarunt. Haloander ἢ ἱερεῖς ὀργείων, quem Beckius secutus est, scribens tamen ὀργίων; Bynkershoekius, quicum facit Sellius, deleto ἢ, correxit φράτορες ἱερῶν ὀργίων. Quorum commentorum neutrum ullam habet probabilitatis speciem, tum quod a Graecorum consuetudine loquendi ipsisque eorum institutis politicis abhorret tam ἱερεῖς ὀργίων quam φράτορες ὀργίων, id quod ne sensum quidem iustum praebet: tum quod, ut statim videbimus, in hac lege non ὀργίων mentio facta fuit, sed ὀργεώνων. Heraldus ἢ ἱερῶν ὀργίων μύσται, Salmasius ἢ ἱεροποιοὶ, ἢ ὀργεῶνες, ἢ σύσσιτοι, quae commenta non uno nomine laborant, a Schultingio iam ideo notata, quod a vulgata scriptura longius abeant. De alia Salmasii ratione medendi loco mox dicetur. Etiam peius habet Kriegeliorum exemplum ἢ ἱερῶν ὀργίων μηνυταὶ, ἢ σύνσιτοι etc., quippe ex mendosa lectione Basilicorum compositum, qua Cuiacius, qui primus illam scripturam proposuit, decipi se passus est. Neque denique felicior fuit Petitus coniiciendo ἢ φράτορες, ἢ ἱερῶν, ἢ ὀργεώνων ἧν αὐτοί, in quibus verbis unum verum quod ὀργεώνων mentionem immisit, a loco quodam Seleuci grammatici profectus, in Solonis legibus ὀργεῶνας memoratos esse tradentis. Photii locum, quo Seleuci mentio fit, integrum dabo, a Petito ex Suida partim tantummodo excerptum, Lex. p. 344. Cant.: Ὀργεῶνες· οἱ τοῖς ἰδίᾳ ἀφιδρυμένοις θεοῖς ὀργιάζοντες· ὀργιάζειν δέ ἐστι τὰ τῶν θεῶν ὄργια τελεῖν, τουτέστι μυστήρια καὶ νόμμα . . . Σελεῦκος δὲ ἐν τῷ ὑπομνήματι τῶν Σόλωνος ἀξόνων *) ὀργεῶνάς φησι καλεῖσθαι τοὺς συνόδους ἔχοντας περί τινας ἥρωας ἢ θεούς· ἤδη δὲ μεταφέροντες καὶ

*) Seleucus hic utrum idem sit cum glossographo Homerico, qui Augusti aetate vixit, an cum antiquiore illo, qui περὶ βίων scripsisse fertur, ignoro: putaverim tamen hunc dici. De utroque disputavit Meierus Commentat. Andoc. VI, 2. p. XIII. 3. p. V. 13. p. 60. De tertio astronomo v. Ideler. in Wolfii Mus. d. Alterth. II, 3. p. 455. Quarti, qui ἱλαρὰ ᾄσματα scripsit, et quinti Tarsensis, Ἁλιευτικῶν auctoris, meminit Athenaeus.

τοὺς ἱερέας οὕτως καλοῦσιν· ὁ γοῦν Ἀντίμαχος ἐν τῇ Λύδῃ· Γενεᾷ καβάρνους θῆκεν ἀγακλέας ὀργεῶνας·*) . . . περὶ δὲ τῶν

*) Recte nunc Friedemanni de coniectura ingeniosa Stollius scripsit ἐν τῇ Λύδῃ γ'· Ἔνθα Καβάρνους etc. Haec enim loci antiquitus corrupti restitutio omnibus, quae VV. DD. de eo commenti sunt, ideo praestat, quod ad codicum scripturam proxime accedit, quandoquidem neminem fugiat quomodo ΕΝΘΑ in ΕΝΕΑ corrumpi potuerit. Ceterum non opus est ut in Antimachi fragmento ὀργειῶνας scribamus, quae forma vereor ut satis sustentari possit. Atque in Photii cod. est ὀργέωνας; apud Suidam ὀργεῶνας. Etenim vocalis ε brevis inter duas syllabas longas media metro ipso urgente in speciem longae producitur. V. Passov. ad Dionis. Perieg. 1039. Addamus exemplis ab eo allatis αἰθρίας Aristoph. Nub. 370. μεσημβρίης Sibyll. XIV, 173. Αἰθιοπία, ibid. 279. ἁμαρτία, ibid. 281: quamquam me non fugit, in eiusmodi exemplis ab accentu productionis caussam repeti solere. Cf. Gerhard. Lect. Apoll. p. 108. Eiusdem licentiae exemplum alterum apud Antimachum putabam exstare in fragmento, a Stollio CXXII. p. 110 ex Crameri Anecd. Oxon. T. III. p. 231 allato, et hanc in formam disponendo

φάγε δ' ὀπτὰ μύκητας
πρινίνους.

Quod fragmentum totidem verbis iam ante ex alio Ms. Oxon. noramus ex Philological Museum T. II. p. 423, ubi editor idem referri adnotat a Choerobosco in Bekkeri Anecd. ind. v. μύκης, non vero teste Antimacho, sed Aristophane laudato, et verbo φάγε omisso, unde suspicari liceat, ne hoc ipsum Aristophanis, cuius fragmentis Dindorfius quidem ὀπτὰς (sic) μύκητας πρινίνους inseruerit, nomen ex Antimachi gignendi ansam dederit. Haec quidem non improbabilia sunt: quamquam fatendum est, Stollium, quum ex metri natura versum poetae comici esse contenderet, catenus de hoc fragmento haud male iudicasse, quatenus argumentum tractatum comico poetae magis quam Antimacho convenire videatur. Accedit quod si ὀπτὰς, ut par est, cum Dindorfio reponimus, ipsum metrum obest quominus de Antimacho cogitemus. Sed haud magis cogitandum de Aristophane. Choerobosci enim locus cum ceteris qui hoc fragmentum afferunt testibus ita ad verbum conspirat, ut non possit non unus idemque fragmenti auctor ab universis indicatus putari. Iam si id quod de nominis Aristophanis origine supra attulimus, invertamus, res expedita est. Etenim φάγε illud non poetae est, sed natum ex terminatione nominis poetae, cuius fragmentum est, non vero Aristophanis, sed Antiphanis, cuius locum servavit Athenaeus II. p. 60. D. ubi vulgatur:

ταχὺ δὴ λαβὼν
ὀπτα μύκητας πρινίνους τουσδὶ δύο,

ὀργεώνων γέγραφεν καὶ Φιλόχορος· τοὺς δὲ φράτορας ἐπαναγκες δέχεσθαι καὶ τοὺς ὀργεῶνας καὶ τοὺς ὁμογάλακτας, οὓς γεννήτας καλοῦμεν. Tum idem mox: Ὀργεῶνες πρῶτοι *) ὀργίων καὶ τελετῶν συγγενικῶν, et paullo infra: Ὀργεῶνες· σύνταγμά τι ἀνδρῶν· ὡς τῶν γεννητῶν καὶ φρατόρων· ὀνομασθὲν ἀπὸ τοῦ κοινῇ ὀργιάζειν, οἷον θύειν καὶ εὔχεσθαι. Denique idem: Ὀργεωνικά ἐστι θύματα, τὰ κοινὰ τῶν ὀργεώνων. Praeter Suidam, qui nonnulla a Photio mutuatus est, similia Etym. M. v. γεννῆται. Bekker. Anecd. T. I. p. 191 et 286. Cf. intpp. ad Hesych. T. II. p. 775. Ex his inter se expensis quum alia, tum haec duo docemur, primum orgeonum fuisse sodalitium sive collegium licitum. quod iure iuxta ceteras universitates a Solone nominatas suum locum obtineat: tum fuisse orgeones in phratriis, quarum sacra obirent, ex quo certo colligitur, φράτορες ἱερῶν ὀργίων, quod nonnemo iungere volebat, recte dici non potuisse; neque ἱερὰ ὄργια, ut hoc addam, quisquam dixit. Quid inde ad legem Solonis? Per vim paene eo adducimur, ut cum Salmasio ὀργεῶνες reponamus: hic vero si quod in Flor. additur ἱερῶν intactum reliquit, id non patienter fero, quandoquidem ut neminem novi qui talia cumulaverit, ita eo minus credibile est, ἱερῶν ὀργεῶνες Solonis aetate dici potuisse, quod ὀργεῶνες qui essent nemo ignorabat. Adiectum igitur ἱερῶν aut a glossatore quodam posterioris aevi, aut ab ipso fortasse Gaio, antiquae illius vocis ὀργεῶνες neque per se perspicuae vim et potestatem explicaturo. Atque totam hanc legem non uno loco corruptam ad nos pervenisse, quum ii quos hactenus tractavimus, ostendunt, tum etiam qui sequitur, luce clarius ostendet. Ὀργεῶνες enim si loco suo recte vindicati sunt, simul concidit sententia eorum, qui duce Cuiacio Obs. VII, 30 ἢ ἱερῶν ὀργίων μηνυταὶ legendum propo-

---

cui restituendum esse ὀπτὰς nemo non videt. Ita autem ut statuam, fide ipsius Choerobosci adducor, locum non sine vitio ita producentis: ὡς παρὰ Ἀριστοφάνει· ὀπτὰς μύκητας πρίνιν (sic) δύο, facile nunc corrigendum, quemadmodum etiam ceteris testibus idem Antiphanis nomen, simul deletis φάγε δ, reddendum erit: nisi antiqua fraus loco illata fuit, qua decipi isti se passi sunt. Ceterum de fungis in esculentorum numero habitis praeter Athenaeum cf. Dion. in Maii Excerpt. Vat. p. 209 et Notices de la bibl. roy. à Paris T. XI, 2. p. 222.

*) An forte προσταταί?

suerunt, Basilicorum exemplo confisi, in quo μηνυταὶ eo loco exhibetur, quo in Flor. ἢ ναῦται exstat; quod iam nemo dubitabit ortum putare ex falsa lectione verborum HNAYTAI. Reliqua pars legis verbo transigi potest; nam meum nunc non est, qui σύσσιτοι, qui ὁμόταφοι fuerint, curatius explicare. Ac de thiasotis omnia nota. V. Goettling. ad Aristot. Oecon. p. 98. Unam rem tangam, quae ad discrimen, quod θιασώτας inter et ὀργεῶνας intercesserit, spectat. Θιασῶτας enim ait Photius Lex. v. θιασώτης p. 82 coll. Bekk. Anecd. T. I. p. 254 etiam ὀργεῶνας appellatos esse. Qui ambo hoc sane in munere commune habebant, ut sacra administrarent, ita tamen ut illi quarumcunque classium civilium esse possent, hi vero ex eadem quisque phratria essent: quod non perspexit Wachsmuthius Hell. Alterth. I, 1. p. 236, ὀργεῶνας nomine tantum a θιασώταις differre ratus. Mox quae pro ὁμόταφοι substitui voluerunt Salmasius et Heraldus, hic ὁμόκαπτοι, vel ὁμόκαπνοι, ille ὁμόγαλοι, quod pro ὁμογάλακτοι positum esset, ea serio exagitare non opus *). Sequitur continuo ἐπὶ λίαν οἰχόμενοι, ut in Flor. scribitur: in quibus quum semel intellectum esset λεῖαν reponendum esse, quod nemo non vel non inspectis Basilicis repositurus fuisset, non tanti erat quod Petitum ἐπὶ λεῖον proponentem Palmerius refutaret. Quod vero ex iisdem Basilicis cum nonnullis Sellius adscivit ἐρχόμενοι, id, quamquam ἐπὶ λεῖαν ἔρχεσθαι revera Isocrates Paneg. 40 (p. 79. Bekk.) dixit, Florentinae lectioni nihilo praestat, quandoquidem οἴχεσθαι hoc sensu etiam aptius dictum videtur, quemadmodum in usu fuit ἐπὶ λεῖαν ἐξιέναι, ἐκπορεύεσθαι aliaque, atque illud ipsum insuper exstat ap. Xenoph. Anab. VI, 4, 5: καὶ ἐπὶ λεῖαν τινὲς οἰχόμενοι. Postremo quod horum omnium verborum loco Salmasius coniecit ἢ καπηλειῶν κοινωνοὶ, ἢ ἐμποριῶν, id commemorasse satis erit.

Addamus nunc Solonis fragmentum, opera nostra qualicumque hunc in modum refictum:

---

*) Obiter adnotabo, quod nunc demum cognovimus, συγγενῶν mentionem in Solonis legibus nomine ὁμαιμόνων factum esse. Incertus rhetor in Crameri Anecd. Oxon. T. III. p. 195, vocem ὅμαιμος eo sensu recte dici probaturus, postquam de axonibus verba fecit, pergit: ἐγὼ γοῦν τοῖς τοῦ Σόλωνος ὡμιληκὼς ὀλίγοις, συγγενεῖς κατανενόηκα τοὺς ὁμαίμονας τὸν ἄνδρα προσαγορεύοντα. Cf. Etym. M. v. γεννῆται, quo ad Solonis leges respicitur.

Ἐὰν δὲ δῆμος, ἢ φράτορες, ἢ ὀργεῶνες, ἢ ναῦται, ἢ σύσσιτοι, ἢ ὁμόταφοι, ἢ θιασῶται, ἢ ἐπὶ λεῖαν οἰχόμενοι, ἢ εἰς ἐμπορίαν ἢ ἀλλοτιοῦν τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους, κύριον εἶναι, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα.

Corollarii instar observationes duas addam, quae ad Solonis leges spectant.

Exstant binis locis Charisii, p. 246 et 253, hi versus poetae incerti, quem comicum esse suspicor, quorum non memini rationem haberi ab iis, qui de legibus Solonis scripserunt:

In ventre didicit sapere nimirum Solon,
qui lege cavit, ut vitia transcenderent
auctoris poenae; nulla poena acerbior
excogitari potuit uxoris malis.

Quo spectent verba *in ventre didicit sapere Solon* (vel potius *Solo*), me fugit: verba vero *nulla poena* etc. perspicuum est cum Solone nihil habere commune, sed principalem exhibere loci sententiam, cuius gratia sapientiae exemplum a Solone legumlatore petitum commemoratur. Neque dubium esse potest, quin hi versus ex comico Graeco poeta transumpti sint, quos praesertim constat illum locum, qui in illa querela de malis matrimonii versatur, certatim et ingeniose tractasse. Satis erit unum versum ex Gnomis monostichis afferre:

Θησαυρός ἐστι τῶν κακῶν κακὴ γυνή.

Plura dabunt Brunckii Gnomica p. 224 et 226. Instar omnium vero est prolixus ille Theophrasti locus de mala maritorum conditione, ab Hieronymo servatus, quem recudendum curavi De coelibum ap. vett. pop. conditione, II. p. 5. Adde quod Plautus quoque Solonis nomine usus est, exemplum Graecum, opinor, secutus, Asin. III, 3, 8:

Audin' hunc? opera ut largus est nocturna; nunc enim est
negotiosus interdius: videlicet Solonem:
leges ut conscribat, quibus se populus teneat.

Quae vero de Solone a poeta nostro traduntur, non tam ad certam eius legum formulam, quam ad eam rationem pertinere videntur, qua omnia in scribendis legibus prudenter et aequabiliter temperare rebusque leges accommodare studuit. Plutarch. Sol. 22: Σόλων δὲ τοῖς πράγμασι τοὺς νόμους μᾶλλον ἢ τὰ

πράγματα τοῖς νόμοις προσαρμόζων. Eandem Solonis sententiam Theophrastus respexisse videtur, cuius ex libris de legibus *) fragmentum producitur in Maii Coll. Vat. T. II. p. 588: Ὀλίγων οἱ ἀγαθοὶ νόμων δέονται· οὐ γὰρ πράγματα πρὸς τοὺς νόμους, ἀλλ' οἱ νόμοι πρὸς τὰ πράγματα. Cf. Schelling p. 107. Quo et inprimis spectat, quod, teste Plutarcho 17, in constituendis poenis Dracone se mitiorem praestitit.

Legis Soloneae de caede voluntaria a Demosthene adv. Aristocrat. servatae ap. Schelling. p. 20 pars prior iisdem verbis exstat in Stephani Schol. in Hippocratem p. 60 ed. Dietz. ὅτι δικάζειν δεῖ τὴν βουλὴν τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ φόνου καὶ τραύματος ἐκ προνοίας: ex quo Stephani Scholio simul confirmatur id quod post alios Schellingius repetendum duxit, ἐκ προνοίας tam ad φόνου quam ad τραύματος referendum esse.

---

*) V. Menag. ad Diog. Laert. V, 44, ubi praeter *Legum epitomen* inter Theophrasti scripta commemorantur Νόμων κατὰ στοιχεῖον κδ', *Legum secundum litteras libri XXIV:* ex quo librorum numero colligi potest, eos a singulis litteris alphabeti appellatos fuisse singulasque leges secundum ipsarum initiales litteras vel syllabas dispositas comprehendisse.

INDEX.

abdicare 42.
Aburnius 105.
ex accidenti 29.
accusativus c. inf. in constructione verbi *traditur* 159.
adeo 77.
adspiratio in Dig. Flor. omissa 119.
Aediles cereales 61.
S. Aelius 71.
ai pro *ae* 113.
Alfenius 83.
Alfenus 83.
Antimachus 163.
Coelius Antipater 74.
Antiphanes com. 163.
Antistius Labeo 94.
apud 156.
Aquilius 76.
ac, ad 68.
Arabi, orum 135.
Aristo ICtus XXI.
Aristophanes 163.
Ateius ICtus 86. Capito 94.
Atilius 71.
auctores et *auditores* conf. 87.
Aufidius Namusa 85. 87.

b pro *p*, ante *s* 58.
Lucilius Balbus 76.
βούκολος ἵππων et similia 58.
Breviarium Alarician-num 155.
Brutus 73.
bus, dativi terminatio quomodo in Mss. scripta 97.

c et *g* in Dig. Flor. 89.
Caelius Sabinus 103.
T. Caesius 85.
Ateius Capito 94.
Capitolinus Vit. Anton. 105.
Carthaginiensis 70.
Cascellius 91.
Cassius Longinus 101.
caussa quo compendio scriptum 25.
Celsi ICti 104.
Centimanus 65.
Cercina urbs et insula 81.
Cicero Div. in Caecil. 19. pro Mil. 57. Parad. 57 et 81. Ep. ad fam. 113. 120. Bruto 75. de invent. 63. pro Quint. 138.
Helvius Cinna 85.
Cistiberes 62.
cistifer 62.
Appius Claudius Caecus 65.
Codex Theodosianus 152 et 155. Gregorianus 151. Hermogenianus ibid.
codex supplendum 154.
Coelius Antipater 74.
complere libros 78.
compraehendere 118.
condicio et *conditio* 53.
consistit et *constitit* conf. 109 et 119.
Cornelius Maximus ICtus 91.
P. Cornelius Rufus 54.
Tib. Coruncanius 64.
cottidie 38.
P. Crassus 74.
curare rem publicam 20.
curia 20.

Damaratus, *Demaratus* 23.
Decemviri stlitibus iudicandis 112.
διατίθεσθαι absolute 161.
dicio 53.
Digestorum Compilatores 17 et 142. codex Neapolitanus 122. Florentinorum correctores plures 117. Codex Flor. VIII. Florentinorum editio XII. Catalogus scriptorum Florentinus XX.
Digestorum I, 1 et 2 17. 95. 109.
I, 3 118
I, 3, 27 18
I, 4 119
II, 9, 2 105

Dig. II, 14, 7, 17 105.
IV, 4, 35 157
IV, 4, 50 143
X, 2, 8 122
X, 2, 11 124
X, 3, 25 et 26 124
XII, 2, 42 143
XXII, 1, 26 XVIII
XXVI, 7, 61 144
XXVIII, 5, 41 XV
XXIX, 2, 99 XXI
XXXIV, 3, 20 25
XXXV, 2, 32, 4 105
XL, 7, 6, 7 182
XLVII, 22, 3 158
L, 5, 20 143
L, 9, 5 146
L, 16, 220, 1 XVI
L, 16, 239, 6 87
L, 16, 245, 1 VII
Dionysius Hal. Antiq. 21.
dispungere 132
disputatio fori 31.
Dositheus Interpretamentis 57.
duovir 50.

Edicta magistratuum 34.
ei pro *i* longa 116. 118.
eicere 38.
eis, iis, constanter cod. Flor. D. 29.
Ennius 72.
Epicadus grammaticus 53. 55.
equi Hermogeniani et Palmatii 152. 153.
ἔρχεσθαι ἐπὶ λίθον 165.
est prima littera privum 118.
expedit 20.

Fragmenta iuris Vaticana 105. 124. 147.
Papirius Fronto ICtus XXII.
fungi in esculentis 164

g et *c* in Dig. Flor. 89.
Gaii ICti fragmentum 41. nomen et praenomen XIX.
Gaius nomen 84. praenomen XIX.
Gellius ICtus 86.
gerere et *regere* conf. 36.
Gnaeus 32.
Iunius Gracchanus 90.
Gregorianus adiectivum 152. intell. codex 154.
Gregorius Codicis auctor 151.

Helvius Cinna 85.
herciscunda 123.
Hermogenes Codicis auctor 151. Ponticus, magister equitum 153. Epitomae auctor 157.
Hermogenianus adiectivum 152. intell. codex 154.
et hodieque 82.
ὁμαίμονες in Solonis legibus 165.
Horatius Sermonibus 83.

i pro *e* Dig. Flor. 114.
Priscus Iabolenus 103. Epistolae 145.
iactare 80.
Iavolenus 103.
in c. acc. pro abl. 49.
iniungere et *iungere* 40.
Inscriptio Graeca 62. Latinae 114. 116.
interpretatio 30.
Iosephus Antiq. Iud. 130. 134. 135. 137. 138.
isdem, iisdem 31.
Salvius Iulianus 106.
iungere et *iniungere* 40.
Iunius Gracchanus 90.
Ius honorarium 35.
Iustiniani Codex 125. Institutiones 103.
G. Iuventius 76.

Antistius Labeo 94.
Laurentius Lydus de mag. 26. 41. 51. 63.
Leges XII tabularum 26. 68.
Lex tribunicia 23. Hortensia 34. Galliae Cisalpinae 123. *perlata* 25. *per legem agere* 25.
Livius 43.
Cassius Longinus 101.
Lucilius Balbus 76.

m verborum fin. in Dig. Flor. omissum 110.
Manilius ICtus 73.
manu 19.
manumissio 43.
Martialis 62.
Masurius 97.
Valerius Maximus 65.
Cornelius Maximus ICtus 91.
Metellus ICtus VIII
P. Mucius 73.
Q. Mucius 75.
Munius 116.

n ante *s*, ut in *quotiens* 89.
Naevius Surdinus 102.
Aufidius Namusa 85. 87.

nanctus 64.
Nerva ICtus 102.
Numae lex 59.
numeri notis in Dig. non scribendi 118.

o pro *u*, novitio usu 95. 111. 117. antiquo 88.
obire diem suum 102.
oboedire 133.
obstupere 129.
octaginta 82.
A. Ofilius 85.
οἴχεσθαι ἐπὶ λεῖαν 165.
opera sapientiae et similium 97.
optinere 38.
orbs 88.
orerer 39.
ὀργεῶνες 162.
orum et *ionum* terminationes conf. XVI.

pa, patre 56.
Panaetius 74.
Papirius ICtus XV. grammaticus XVI. Fronto ICtus XXII.
Papirius, iuris Papir. auctor, quo praenomine usus sit 21.
Papirius, non *Papyrius* 22.
parcere ab aliqua re 138.
parens, pater 56.
parricidium 55.
Pegasus ICtus 103.
per omnia 38. *partes* 36.
perquam superlativo iunctum 89.
Philargyrius ad Vergilium 90.
Plautus Aulularia 138. Trinummo ibid.
plebiscitum 33.
Plutarchus Vit. Sullae 55.
Poeta comicus Lat. inc. 166.
S. Pompeius 74.
Pompeius ICtus XV.
Pomponii duo ICti XV.
Sextus Pomponius ICtus XVII. XXI.
Pomponius, enchiridii auctor XIV. scripta XX. Enchiridia XXII. Epistolae 142.
Pomponius grammaticus XX.
post deinde 61.
praenomen in locum nominis receptum XIX.
in praesenti, in praesentia, in praesentiarum 63.
Priscianus 87.
Proculiani 103.
Proculus ICtus 102.

quattuor 49.
Quinqueviri capitales 50.
Quintilianus 54.
quotiens 61.

r littera 68.
regere et *gerere* conf. 36.
repetitio eiusdem vocis 19.
respondendi de iure munus 99.
respondi et *respondit* in Dig. 144. 146.
res publica, et similia disiunctim 33.
Rufinus Iosephi interpres 129. 139.
P. Cornelius Rufus 54.
P. Rutilius Rufus 73.

s pro *r* antique 67. pro *ss* Dig. Flor. 114.
Caelius Sabinus 103.
Salvius Iulianus 106.
Σαμαρεῖς et Σαμαρεῖται 130.
Sapiens cognomen 69.
satis datio 33.
P. Scipio Nasica 70.
Scylax Periplo 81.
secus, secuus, sequius 138.
Sedulius Opere paschali 156.
Seleuci varii scriptores 162.
Servius Sulpicius 79.
Sextus (Pomponius) ICtus XVII.
Solonis lex de sodalitiis 158. de caede voluntaria 167. ratio in legibus scribendis 166.
Σόφος, cognomen 69.
stlitibus 48. 120.
Sulla 53.
Superbus, Tarquinius 22.
syllabae ob similitudinem in Dig. Flor. omissae 119. 120.
Symmachus 105.

tamdiu, quamdiu 124. [sed v. Ulpianum Dig. XLIII, 26, 1.]
Tarquinius Priscus 22. Superbus 22.
Taurellii, Dig. Flor. editores IX.
Theodosianus scil. codex 154. 155.

Theophrasti libri de legibus 167.
διασῶται 165.
traditur esse aliquem 19.
Trebatius 89.
tresviri et *triumviri* 50.
Tribuni plebei quando creati 25. militares 46.
Triumviri capitales, nocturni 50. monetales 116.
Q. Tubero 73. 94.
Tuscianus 106.
Aburius Valens 104.
Valerius Maximus 65.
Varus ICtus 87.
A. Verginius 73.
Verginius et *Virginius* 43.
Vicesima 89. [Cf. inscr. in Iourn. des Sav. 1837. p. 661, ubi commemoratur *procurator vigesimae hereditatium Romae* et *per provincias Narbon. et Aquit.*]
vicensimus 89.
vigensimus 89.
vindicias dicere 44.
Vindius 105.
Vinidius ICtus 105.
vipera 56.
Virginius et *Verginius* 43.
Ulpianus 71. 72. libro regularum 103.
uls 52.
Umidius 106.
vocalis brevis Gr. inter duas longas syllabas producta 163.
Volcatius ICtus 92.
urbs, etymologia 87.
xs 114.

ERRATA.

Pag. 55. l. ult. *obstulisset.* — Pag. 59, 2 *refertar* pro *revertar.* — Ibid. l. 22. *Pompeium* pro *Pompeiam.* — Pag. 130, 23 α pro *a.* — Pag. 138, 20 *Anl.* pro *Aul.* — Pag. 139, 16 *post e quam* pro *posteaquam.* — Pag. 141, 29 *observationibus* pro *observationes.*

Debebam in Praef. adnotare, lectionis varietatem Pomponii contextui subiectam esse Taurellianam.

Giessen, gedruckt in der Universitäts-Buchdruckerei
von G. D. Brühl I.